MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80230-8

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

VOLLERTSEN, GEORG

TITLE:

QUAESTIONUM CATONIANARUM CAPITA DUO

PLACE:

KILIAE

DATE:

1880

Master Negative #

91-80230-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C31
DZ6

Vollertsen, Georg,

Quaestionum Catonianarum capita duo; sive, De vita Catonis eiusque fontibus atque de Originibus. Dissertatio quam... scripsit... Georgius Vollertsen... Kiliae, ex officina Schmidt, 1880.

49 p. diagr. 30½ cm.

Thesis, Kiel.

414460

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14½X

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 9/16/91 INITIALS RC

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



Centimeter

Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



No. 6
15 philosophische Dissertationen
Kiel
87C31
DZ6
1880 VII.
Phil. VIII.

QUAESTIONUM CATONIANARUM CAPITA DUO

SIVE

DE VITA CATONIS EIUSQUE FONTIBUS ATQUE DE ORIGINIBUS.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA-ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVII MENSIS FEBRUARII HORA XII IN AULA ACADEMICA

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS VOLLERTSEN

EKERENVORDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

C. PETERSEN, Dr. phil.
G. LUEBBERT, stud. phil.
J. ERICHSEN, stud. hist.

KILIAE.
EX OFFICINA SCHMIDT & KLAUNIG.
MDCCCLXXX.

Imprimatur:

GEORG HOFFMANN,

h. t. decanus.

EDUARDO LUEBBERTO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

GUILELMO STILLIO

AMICISSIMO

HASCE PRIMITIAS

DEDICAT

AUCTOR.

Index.

pag.

Praefatio 6

Caput primum. De vita Catonis . . . . . 7—36

§ 1. De fontibus . . . . . 7—18

§ 2. De vita. . . . . 18—20

1) De anno natali . . . . . 18—36

2) De cognominibus 20

3) De honoribus et rebus gestis . . . . 20—36

Caput secundum.

De Originibus . . . . . 37—49

Adiectae sunt:

Tabula chronologica vitae Catonis rerum memorabilium. . . . 49

Tabula pugnae adversus Hispanos commissae 50

Praefatio.

De Catone maiore, qui gravissimis Romanarum rerum gestarum temporibus vixit, cum et bello Punico secundo Romam Cannensi clade fractam disiectamque in extremum periculum vidisset atque vocem terribilem „Hannibal ad portas“, cf. Cic. Phil. I, 11. de fin. IV, 22. audisset, et fortuna mutata grandis natu ut Romani, orbis terrarum iam fere victores, Carthaginem, diuturnam urbis aemulam, deleturi essent effecisset, accurate inquirere operae pretium esse mihi visum est. Atque has quaestiones ita institui, ut primo capite et de fontibus vitae Catonis et de vita *κατ' ἐξοχήν* investigarem. Etsi omnium maxime Drumannus (Geschichte Roms Th. V p. 97 sq. Königsberg 1841). Catonis vitam locis ex auctoribus veteribus allatis copiosius narravit, tamen cum ipsius Catonis scriptorum fragmentis, quae universa optime collegit Henricus Jordanus (M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant. rec. et prolegomena scripsit. Lipsiae 1860) non usus esset, hanc praecipuam provinciam arripui. Neque minoris momenti esse censui capite secundo de Catonis Originibus, historia vere Romana, disserere, quippe cum virorum doctorum sententiae de iis prolatae valde inter se discrepent. —

De vita Catonis.

De vita Catonis disserturus non habeo in animo neque ea, quae iam antea multi et docti homines copiose de hac re narraverunt,[1]) velut cramben repetitam recoquere neque amplissime aut verbosissime Catonis vitam enarrare, quod a re proposita abhorret. Sed res summas maximeque memorabiles ex ipsis veteribus fontibus erutas ita describam, ut in brevi quasi conspectu positae sint, neque minus res controversas dubiasve, quantum in me est, explicare et illustrare conabor. Praeterea veterum scriptorum testimonia locosque plene et accurate afferam; quibus allatis quaecunque narravero veterum auctoritate confirmanda sint.

§ 1. de fontibus.

Quod attinet ad fontes, qui ex antiquitate Romana usque ad nostra tempora servati pervenerunt, in hoc quidem viro multo melius quam in multis aliis res se habet. Nam etsi ipsius scripta, quae quidem adhuc exstant, tenuia tantum vestigia ad vitam illustrandam praebent, tamen vitae totae descriptae Cornelii Nepotis „M. Porcius Cato“ et Plutarchi *„βίος Κάτωνος“* atque *„Ἀριστείδου καὶ Κάτωνος σύγκρισις“* nobis traditae sunt. E quibus Nepotis vitam non ab ipso Nepote, sed ab Aemilio quodam Probo imperatoris Theodosii tempore vivente confectam esse plerique nostrates censuerunt, priusquam Nipperdeius[2]) genuinam huius vitae formam eamque e

[1]) Quia in Teuffelii hist. litt. Rom. (ed. III). § 118 nonnulla scripta desunt, opus est hoc loco omnia afferre. Ger. Joh. Vossii de historicis Lat. Lugd. Batav. 1651. — lib. I. cap. 5. — J. Alb. Fabricii bibliotheca Lat. Hamburg. 1708. lib. I. cap. 2. — J. G. Schneider, de M. Porcii Catonis vita, studiis, scriptis (cf. eius Scriptores rei rusticae tom. I, 2). — G. C. Brillenburg, de C. Censorio. Lugd. Batav. 1826. — Schlosser Universalhistor. Uebersicht II. 2, p. 185 sq. — W. E. Weber, de Catonis vita et moribus. Bremae 1831. — Wilms, C. Censorii vita et fragmenta. Dortmund. 1839. 1843. — W. Drumann, Geschichte Roms in s. Ueberg. v. d. republ. z. monarch. Verfassung. Königsb. 1841. — Th. Renvall, de C. Censorio, Helsingfors 1845. — H. Dohrn, über Cato den Aeltern, Itzehoe 1845. — A. Krause, vitae et fragmenta vett. historicorum Rom. Berol. 1833. — Pauly, Realencyclopaedie t. V. p. 1904 sq. — M. P. Lindo, diatribe in Catonis vitam et mores. Arnheim 1851. — Kieserling, de rerum Roman. scriptoribus, quibus T. Livius usus est. Berol. 1858. — Mommsen Römische Geschichte t. I. (ed. V.) p. 825 sq. — Lange, Römische Alterthümer t. I. (ed. II.) p. 190 sq. — F. D. Gerlach, M. P. Cato der Censor. Stuttg. 1869. — O. Jäger, M. Porcius Cato, Halle 1870. — G. Kurth, Caton l'ancien. Lüttich 1872. —

[2]) Corn. Nepos erklärt von Nipperdey. Leipz. 1849. praefat. p. 36 sq.

libro Cornelii Nepotis de historicis Latinis excerptam nobis exstare pulchra argumentatione demonstrasset. Alia Catonis vita ab eodem auctore Pomponii Attici rogatu[1]) copiose enarrata molestum est quod perdita non iam exstat, quamobrem Nepoti „studiosos Catonis ad illud volumen deleganti“ quamvis cupidissimi obsequi non possumus. Praeterea ad nostra tempora pervenit liber de viris illustribus, cuius capite 47 de Catone strictim narratur. Auctorem huius libri nescimus; nam eum ab Aurelio Victore, cui a prioribus viris doctis adscribebatur, haudquaquam compositum esse constat. Neque minus fieri non potest, ut ea neglegamus, quae a ceteris veteribus auctoribus passim, sed maxime memoratu digna de Catone referuntur, velut a Cicerone in Catone maiore de senectute atque in Bruto, a Tito Livio in libris ab urbe condita, a Plinio in historia naturali, a Gellio in libris, qui inscribuntur noctes Atticae.

Quibus enumeratis necesse est ut quae fides his fontibus habenda sit quaeramus. Ac primum locum auctoritatis tenent ipsius Catonis fragmenta quamvis perpauca, quae omnia optime Henricus Jordanus[2]) collegit et praeclaris prolegomenis instruxit. Catonis enim de re rustica liber ad eius res publice gestas illustrandas idoneus non est. E ceteris fontibus Plutarchi auctoritas maxime ambigua neque sibi constans est, cum in vitis describendis alias optimis alias incertis fontibus usus sit. Quare hoc loco de eius auctoritate, praesertim cum pleraque atque maxime memorabilia de Catone memoriae prodiderit, accuratius et singillatim inquirendum est, ut vera a fictis secernamus. Atque in fontibus quos Plutarchus in usum vocat diiudicandis diligenter caveas ne in universum iudicaveris vel de vitis singulis vel de singulis vitae cuiusdam partibus. Via enim ac ratio, quam Plutarchus in auctoribus eligendis adhibendisque sequatur, quam varia et diversa sit, Peterus[3]) in singulis illius vitis examinandis luculentissimis exemplis nobis demonstrat, cum quantum Romuli et Numae vitae ab iis ceterorum distent plane explicet. Nam etsi in his quidem Plutarchus unum atque eundem auctorem per compluria capita in rebus exponendis assidue sequitur idemque alio auctore deinde assumpto facit, tamen in duabus illis vitis alios aliis fontibus semper mutat atque magnum auctorum numerum, quos suis „quaestionibus Romanis“ elaboratis permultos cognovit, commiscet et confundit. Neque minus in singulis vitarum ceterarum partibus fontes dissimiles sive maioris sive minoris fidei conglomerat, ita tamen, ut quo loco alium auctorem seposuerit, alium deinceps inspexerit plerumque perspicuum sit. Quae cum ita sint, in hac quoque vita de Catone maiore scripta necessario discernendum est, quae sint maioris aut minoris fidei. Ac Plutarchus in hoc „*βίῳ*“ de vita Catonis et privata et publica copiosissime narrat simili modo atque in Aemilii Paulli vita. Quam copiosus sit, facile apparebit, si has contuleris cum ea Flaminini, in qua, cum hoc loco commentarii, quale in Aemilii Paulli vita describenda Scipionis *ὑπόμνημα* vel potius *ἐπιστόλιον* (vit. Aemil. cap. 15. 16. 21) in manibus fuit, deessent, de vita privata pauca tantum atque ea exilia attulit, quae sine multo labore in eis operibus, quibus res gestae in universum tractantur, velut in Polybii aliorumque libris, a Plutarcho inveniri poterant. In Catonis autem vita

[1]) Nep. Cat. 3, 5: Huius de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici.

[2]) M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant. Lipsiae 1860.

[3]) H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer. Halle 1865.

propter narrationem copiose factam ille et ex auctore qui copiose de Catonis vita narravit, hauserit et alia ex ipsius Catonis scriptis fluxerint necesse est.

Et Heerenius quidem[1]) ipsum Plutarchum Catonis scripta inspexisse vult. Neque non verisimile videtur, cum videamus Plutarchum ea, quae ipse Cato dixit vel scripsit, aliorum testimoniis vocibus „*λέγεται*“ vel „*φασὶν*“ discretis, verbis „*φησὶν*“ aut „*γέγραφεν*“ notare. Accedit quod cap. 2 § 4[2]) legimus: *τὰ μέντοι συγγράμματα καὶ δόγμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ ἱστορίαις ἐπιεικῶς διαπεποίκιλται, καὶ μεθηρμηνευμένα πολλὰ κατὰ λέξιν ἐν τοῖς ἀποφθέγμασι καὶ ταῖς γνωμολογίαις τέτακται.* Hoc igitur loco perfectum praesens aoristis paullo ante eadem paragrapho positis (*γενέσθαι . . . ὠφελῆσθαι*) opponitur. Qua e re concludi possit Plutarchum Catonis scripta ita cognita habuisse, ut id iudicium de iis faceret. Perinde cap. 25 § 1 legitur: *καὶ συντέτακταί γε βιβλίον γεωργικόν, ἐν ᾧ καὶ περὶ πλακούντων σκευασίας καὶ τηρήσεως ὀπώρας γέγραφεν.* At Nissenius[3]) et Peterus l. l. p. 90 Plutarchum ipsum Catonis scripta inspexisse iure meritoque negant. Qui cum eius opinionis causas non attulerint, eam argumentis confirmare pro virili parte studebo. Nam primum si Catonis vitam cum Sullae, in qua narranda Plutarchum ipsius Sullae commentariis usum esse Peterus l. l. p. 57 sq. demonstrat, componimus, Plutarchum aliter in illa quam in hac testes protulisse neminem, qui attente legat, fugit. In Sullae vita ipsum Sullam hoc modo laudat: c. 4: *φησὶν αὐτός. φησὶ γάρ.* — c. 5: *λέγει αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασι.* — c. 6: *ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφε.* — c. 14: *ἐπαινεῖ.* — c. 16: *Σ. αὐτὸς ἐν δεκάτῳ τῶν ὑπομνημάτων γέγραφε.* — c. 17: *ὁ δὲ Σ. λέγει.* — c. 19: *αὐτὸς ὁ Σ. ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἀπολογεῖται.* — c. 23. 27. 28. *φησί.* — c. 37: *γέγραφε περὶ αὐτῆς. τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων.* et semel tantum c. 31 auctorum nominibus omissis scribit: *ἔνιοι λέγουσιν.*[4]) Quod si c. 17 auctores in incerto relinquit *(οἱ δέ φασιν)*, hae quidem res sunt, quae ad Sullae tempora non spectant. Iam si computemus, duodecies Sulla laudatur idque ita, ut quinquies Plutarchus, quamquam omnibus locis eadem scripta significat, commentarios nominatim proferat, quin etiam eorum libros decimum et vicesimum alterum citet. Contra Cato in vita Catonis a Plutarcho, praeterea testibus quorum nomina non notantur saepe interpositis, sic laudatur: c. 1: *αὐτὸς ὁ Κάτων ἐπαινεῖ φησί. αὐτὸς ἔλεγε. φησὶ γὰρ αὐτός.* — c. 4: *γάρ φησι.* — c. 5: *φησί.* — c. 10: *αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κάτων. λέγει. φησί.* — c. 12: *φησί.* — c. 14: *φησί.* — idem c. 19. 20. (bis) 21. 23. (bis) — c. 24: *φησί. μέμνηται ἐν τοῖς βιβλίοις.* — c. 25: *φησί. γέγραφεν.* comparat. Aristid. et Cat. c. 5: *φησὶ ἔν τινι λόγῳ.* Praeterea exstant c. 1: *φασίν.* — c. 2: *λέγεται.* c. 12: *λέγεται.* — c. 15: *λέγεται* (bis). — c. 23: *ὡς ἔνιοι νομίζουσι. ἔλεγε.* — c. 26: *οἴονται.* — c. 27: *φασί* (bis). — Quod cap. 7—9 dictis Catonianis verba „*ἔφη*“ et „*εἶπεν*“ semper interponuntur, alia est res. Itaque ter et vicies Cato plerumque incerto verbo „*φησί*“ vel „*ἔλεγε*“ laudatur, neque nisi ter scriptorum locus additus est: c. 24: *ἐν τοῖς βιβλίοις.* c. 25: *ἐν βιβλίῳ γεωργικῷ.* — c. 5 comp. Arist. et Cat.: *ἔν τινι λόγῳ.* E quibus tribus locis illud cap. 25 laudatum *βιβλίον γεωργικὸν* solum nominatim affertur, cum c. 24 et compar. c. 5 scripta et orationem nescio

[1]) De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi. Gotting. 1820.

[2]) paragraphos nomino secundum editionem J. Bekkeri. Plutarchi vitae inter se comparatae. Lips. 1856. vol. II.

[3]) Kritische Untersuchungen üb. d. Quellen der IV. und V. Dekade des Livius. Berlin 1863. pag. 292.

[4]) Sullae commentariorum singuli libri numeris additis ab aliis quoque auctoribus laudantur, ut Priscian. IX., 39. p. 476, 4 Hertz: „Sulla in vicesimo primo rerum suarum“ et Gell. noct. Att. I., 12, 16. XX., 6, 3 (ed. Hertz): „rerum gestarum liber secundus.“

quam adeo in universum citet, ut nihilo certiores fiamus de ea re. Verum tamen pro tanta Catonis scriptorum copia omnium maxime nominatim ea afferre Plutarcho opus erat, cum in Sullae vita solorum ὑπομνημάτων ratio habenda esset. Praeterea singuli Originum libri sicut Sullae commentariorum nusquam laudantur, quamquam Livius (lib. XXXXV, 25. XXXVIII, 54. XXXIX, 42. perioch. XXXXI. XXXXIX.), Cicero (de sen. 11, 38), Gellius (noct Att. I, 16, 4. II, 19, 9. 28, 5. V, 21, 17. etc.) aliique singulos eius operis libros singulasque orationes discernunt atque nominant. Iam vero ea res nequaquam praetermittenda est, quod Plutarchus Sullae ὑπομνήματα nominatim afferens semper „λέγει" vel „γέγραφεν", nunquam „φησὶν" scribit et quod duodecim locorum laudatorum quinque tantum, ubi „φησὶν" legitur, inveniuntur, cum e contrario in Catonis vita „γέγραφεν" semel tantum nobis occurrat idque quo loco βιβλίον γεωργικὸν nominatur, vocabulum autem φησὶν semper legamus. Qua re quantopere Plutarchus via ac ratione qua locos affert sibi constiterit cognoscitur. Denique octies in vitam Catonis voces φασὶν et λέγεται insertae sunt, quod in Sullae quidem vita nunquam fit. Quibus dubiis vocibus Plutarchum in illa vita narranda non ipsius Catonis scripta, sed variarum fabularum collectiones, quarum auctoritas non satis confirmata esse sibi videretur, excerpsisse apparet.

Altera causa, cur Plutarchus ipsius Catonis libros evolvisse vix existimandus sit, haec est, quod in scriptis Catonis cap. 25 § 1 enumerandis nulla alia scripta nisi λόγους παντοδαπούς et ἱστορίας et βιβλίον γεωργικὸν affert, quamquam Cato permulta alia praeterea composuit. Catonem autem historiarum libros „Origines" inscripsisse vix credibile est Plutarchum novisse. Quod si ita esset, sine dubio hic velut Cicero, Nepos, Livius aliique, illo nomine eos laudasset aut certe eam rem indicasset.

Postremo ad sententiam meam comprobandam magni esse momenti censeo locum capitis 17, ubi Lucii Flaminini facinus describitur. Eius capitis § 4 Plutarchus Livii narratione de ea re inserta haec addit: „καὶ ταῦτα ἐν τῷ λόγῳ γεγράφθαι Κάτωνος (scil. ὁ Λιουίος φησιν). Quae res si Livii libros (XXXIX, 43) evolvimus, recte se habet. At Plutarchum cum hoc loco perfecti indicativo γέγραπται vel alia oratione directa minime utatur, ipsam Catonis orationem nequaquam inspexisse quis est qui ignoret? Quin etiam cum consulto a Catonis narratione discedat, eum opinatum esse Livium de ea re erravisse verisimillimum est. Sin autem ipsam Catonis orationem veritatis studiosus inspexisset, rem ita se habere sicut Livius rettulit persuasum habere potuit. Quod non fecit. Propterea arbitror Plutarchum, praesertim cum esset homo natione Graecus, Catonis scripta ob antiquiorem sermonem verbaque horridiora (Cic. Brut. 17, 68. orat. 45, 152) intellegere non potuisse atque ex auctoribus Latinis Sullam et Valerium Antiatem [1]) antiquissimos fuisse, quos Plutarchus, cum eorum genus scribendi et verba non tantem impedimenti quantum Catonis in legendo praeberent, intellegere posset. His omnibus causis persuasum mihi est Plutarchum ipsius Catonis scripta haudquaquam legisse, ne βιβλίον γεωργικὸν quidem verbis c. 25 allatis cum sententia prorsus in universum spectans proferatur, quae facile e secundariis fontibus exscribi potuit.

Iam vero etsi ipsius Catonis scripta Plutarchum non inspexisse statuimus, tamen eius narrationes fidei historiae expertes minime haberi debent, cum pleraque testimonia e Catonis libris

[1]) Quem ipsum Plutarchum adhibuisse Peterus quidem vult. (Quell. Plut. p. 45. 172. et Historic. Rom. relliqu. I. proleg. p. CCCXVIII. Lipsiae 1870.)

a scriptoribus nonnullis, quorum scriptis Plutarchus usus est, petita sint. Qui fuerint auctores investigare maximi est momenti, ut testimonia maioris minorisve fidei disiungamus. Qua de causa Nissenius (Krit. Unt. p. 292—298) hanc vitam, quae ad tempus inter bellum Punicum secundum et tertium interiectum illustrandum multum valet, eo consilio perscrutatus ad hunce finem pervenit:

capita 1—4 hausta sunt e vita i. e. e scriptore quodam, qui vitam Catonis praecipue domesticam descripsit (Nissen l., l. p. 292), quem iure meritoque Nissenius posuisse mihi videtur. cap. 5. et e Catone et nonnulla ipse Plutarchus addidit. cap. 6. e vita. — cap. 7 Plutarchus disseruit. cap. 8—9 e dictis Catonianis, nam dictorum Catonianorum collectionem Jordanus et Nissenius et Peterus statuunt. — cap. 10—14 e Catone. — cap. 15—19 ex annalium scriptore. — cap. 20 e Catone et e vita. Quae de Catonis filii fortitudine narrantur ex eodem fonte atque vit. Aemil. c. 21 fluxerunt. — cap. 21 e Catone (vel vita?) — cap. 22 e Polybio. — cap. 23 e Catone. — cap. 24—25 e vita. — cap. 26—27 e Polybio.

Etsi Nissenius diligentissime et argute de hac re inquisivit, tamen Plutarchum fontes nimis varium in modum mutasse et confudisse censet. Quod ille facere non solitus est nisi in Romuli et Numae vitis, cum in ceterorum vitis plerumque per compluria capita continua eosdem auctores eum habuisse Peterus gravissimis argumentis probarit. Itaque Peterus quoque (Quellen Plut. p. 65—69) alia atque Nissenius in lucem edidit:

cap. 2 e dictis Catonianis. cap. 6 ex Originibus. cap. 8—9 e dictis. Annotatio de muris destruendis in capite 10 e Polybio. — cap. 10—14 ex Originibus. — cap. 16—19 e Livio (cap. 17 paucae annotationes e Cicerone et e dictis.) — cap. 20—23 e dictis. — cap. 26—27 e Polybio.

Quod si hae Nisseni et Peteri opiniones inter se comparantur, omnium maxime inter se discrepant capitibus 6. 15—19. 20—23.

De hac autem fontium differentia et uter propius ad veritatem accedere videatur iam mihi est quaerendum. Caput 6 igitur Nissenius e vita et Peterus ex Originibus sumptum esse putant. Ac mea quidem sententia Nissenius felicius quam hic suspicatus est. Nam cap. 6 tam arte cum antecedentibus coniunctum est, cum adhuc eodem modo atque cap. 4 et 5 de Catonis parsimonia et continentia narretur. Porro quae de Catone praeturam in Sardinia gerente dicuntur, eo tantum consilio adduntur, ut Catonis parsimonia et continentia exemplis illustrentur. Neque enim qui attente haec capita perlegerit, eum fugiet, quanta negligentia ac prope obiter Plutarchus praeturam Catonis memoret. Scribit enim cap. 6 § 2: ἐπαρχίαν δὲ λαβὼν Σαρδόνα, τῶν πρὸ αὐτοῦ στρατηγῶν εἰωθότων χρῆσθαι καὶ σκηνώμασι δημοσίοις καὶ κλίναις καὶ ἱματίοις, πολλῇ δὲ θεραπείᾳ καὶ φίλων πλήθει καὶ περὶ δεῖπνα δαπάναις καὶ παρασκευαῖς βαρυνόντων, ἐκεῖνος ἄπιστον ἐποίησε τὴν διαφορὰν τῆς εὐτελείας.

Itaque hoc loco participio aoristi (ἐπαρχίαν λαβών) sicut linguae Latinae ablativo absoluto ea quae minoris momenti sunt, absolvuntur, contra cap. 10 et 16, ubi de consulatu et censura a Catone inita refertur, verba finita inveniuntur. (cap. 10 § 1: ὕπατος ἔλαχε τῶν ἐπαρχιῶν κ. τ. λ. cap. 16 § 1: τιμητείαν παρήγγειλε. § 6: οὕτω μέγας ἦν, ὥστε . . ἐλέσθαι.).

Deinde capita 15—19 Nissenius ex annalium scriptore, Peterus autem (l. l. p. 82. 91) cap. 16—19 (nam de capite 15 ut de nonnullis aliis tacet) e Livio Plutarchum petivisse contendit. Ac

primum quidem quaerendum est de capite 17, ubi L. Flaminini flagitium exponitur. Eadem Plutarchus vitae Flaminini cap. 18 refert. Duobus illis locis etsi eundem fontem secutus eandem rem narrat, tamen alia alio modo describit, quibus discrepantiis apparet Plutarchum non arte, sed solutius fontium vestigia premere solere. Atque Cat. mai. cap. 17 § 3 Peterus e Cicerone (de sen. 12, 42) manasse vult, quia Plutarchus scribit: *οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι ταῦτα ἱστοροῦσι, καὶ ὅ γε Κικέρων . . . πεποίηκεν*. Attamen Plutarcho cum Cicerone comparato id minime verisimile videtur. Nam Cicero uno brevi enuntiato paucis de illo Flaminini facinore absolvit, cum Plutarchus copiosissime singula narret atque praeterea nonnulla attulerit, quae apud Ciceronem desiderantur. Absunt enim apud Ciceronem quae Plutarchus de scorto refert: *μειράκιον ἐκ τῆς παιδικῆς ὥρας ἑταιροῦν ἀνειλημμένος ὁ Λεύκιος ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἶχεν κ. τ. λ.* — Deinde haec: *ἐπὶ τιμῆς καὶ δυνάμεως τοσαύτης ὅσην οὐδεὶς εἶχε τῶν πρώτων παρ' αὐτῷ φίλων καὶ οἰκείων*. atque: *τὸ μειράκιον ὥςπερ εἰώθει συγκατακείμενον ἄλλην τε κολακείαν ἐκίνει κ. τ. λ.* Neque neglegendum est, quod Plutarchus dicit: *οἱ μὲν πλεῖστοι, καὶ ὅ γε Κικέρων* (i. e. Cicero quidem). Plutarchus ergo necesse est usus sit auctore, qui cum *τοῖς πλείστοις* congrueret vel in eorum numero esset. Livium in eorum numero non fuisse ea re perspicitur, quod Plutarchus eum illis opponat, cum scribat: *οἱ μὲν πλεῖστοι — ὅ δὲ Λίουιός φησι κ. τ. λ.* Eodem modo Plutarchum hoc loco Livium propterea inspexisse, ut eum corrigeret neve eo uteretur, persuasum habebimus, si Plutarchum cum Livio contulerimus.

Liv. XXXIX, 42.	Plut. Cat. c. 17.
Philippum Poenum — ab Roma in Galliam provinciam spe ingentium donorum perductum.	§ 2. *μειράκιον ἐκ τῆς παιδικῆς ὥρας ἑταιροῦν ἀνειλημμένος ὁ Λεύκιος ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἶχε καὶ συνεπήγετο στρατηγῶν κ. τ. λ. ἐτύγχανε μὲν οὖν ἡγούμενος κ. τ. λ.*
eum puerum, perlasciviam cum cavillaretur exprobrare consuli persaepe solitum etc. Tum demum sequuntur: „forte epulantibus iis“.	*ἐν δὲ συμποσίῳ τινὶ τὸ μειράκιον, ὥσπερ εἰώθει, συγκατακείμενον ἄλλην τε κολακείαν ἐκίνει πρὸς τὸν ἄνθρωπον — καὶ φιλεῖν αὐτὸν οὕτως ἔλεγεν, ὥςτ' ἔφη κ. τ. λ.*
Apud Livium non inveniuntur.	§ 3. *ἀλλὰ τούτου γε χάριν „εἶπε“ μή μοι κατάκεισο λυπούμενος· ἐγὼ γὰρ ἰάσομαι.*

Quibus causis apparet Plutarchum hoc loco Livium auctorem non habuisse. Idem cognoscimus in sequentibus de Catonis censura, quo loco etiam hi auctores inter se dissentiunt.

Liv. c. 42.	Plut. c. 17.
patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas. Catonis et aliae quidem acerbae orationes exstant . . . longe gravissima in L. Quinctium.	§ 5. *ἐκβληθέντος οὖν τοῦ Λευκίου τῆς βουλῆς ὑποτοῦ Κάτωνος, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ βαρέως φέρων ἐπὶ τὸν δῆμον κατέφυγε καὶ τὴν αἰτίαν ἐκέλευεν εἰπεῖν τὸν Κάτωνα τῆς ἐκβολῆς.* — Apud Livium prorsus aliter narrantur.

Liv. c. 43.	Plut. § 5.
in extrema oratione Catonis condicio Quinctio fertur, ut si id factum negaret . . . sponsione defenderet sese.	*ἐπεχείρει μὲν ὁ Λεύκιος ἀρνεῖσθαι, προκαλουμένου δὲ τοῦ Κάτωνος εἰς ὅρισμὸν ἀνεδύετο.* Apud Livium desunt.
Apud Livium omnia in senatu, non apud populum aguntur.	Apud Plutarchum (Cat. mai. c. 17. Flamin. c. 18) apud populum aguntur[1]). § 5: *ἐκβληθέντος — ἐκβολῆς.* Quae extremo capite 17 narrantur apud Livium desunt.

Neque extremum neque primum caput 17 Plutarchi cum Livio congruit. Nam apud Plutarchum c. 17 § 1 legimus: *Προέγραψε μὲν οὖν ὁ Κάτων τῆς συγκλήτου τὸν συνάρχοντα καὶ φίλον Λεύκιον Οὐαλέριον Φλάκκον*, cum in Livii copiosa de Catone censore narratione (cap. 40—44) nihil eiusmodi inveniamus. Undecimo demum capite post Catonis censura iam confecta hanc rem occasione forte data obiter tangit, quo loco (c. 52) Livium alio fonte atque capitibus 40—44 scilicet Claudio Quadrigario usum esse Nissenius (l. l. p. 218. 229) et Ungerus[2]) censent. — Deinde apud Livium ut apud Plutarchum (§ 1) non legitur L. Quinctium septimo anno, antequam senatu moveretur, consulem fuisse. — Livius c. 42 scribit Catonem et Flaccum septem senatores senatu movisse, Plutarchus universe refert „*συχνούς*.“ — Manilium senatu motum esse (Plut. Cat. 17 § 7) Livius memoriae non prodidit. — Quae cum ita sint, quis est qui censeat Plutarchum capite 17 Livium auctorem habuisse? Multo minus ipsius Catonis orationem Plutarchum inspexisse iam supra comprobasse mihi videor. Iam ad caput 16 transeamus, quod Peterum Livio non recte assignasse cognoscemus, si Plutarchi cap. 16 cum Livii capite 41 comparaverimus.

Liv. c. 41.	Plut. c. 16.
quod tristem censuram periculosamque multorum famae et ab laeso a plerisque et laedendi cupido exspectabant.	§ 4. *οἱ δὲ μοχθηρὰ συνειδότες αὑτοῖς ἐπιτηδεύματα καὶ τῶν πατρίων ἐκδιαίτησιν ἐθῶν.*
Apud Livium nihil eiusmodi exstat.	§ 4. *θεραπεύοντας ἐλπίσι χρησταῖς τὸ πλῆθος ὡς δὴ μαλακῶς καὶ πρὸς ἡδονὴν ἄρχεσθαι δέομενον.*
refragari sibi qui liberam et fortem censuram timerent criminando.	Apud Plutarchum non leguntur.

Quae apud Plutarchum sequuntur, apud Livium non inveniuntur. Quin etiam illa Plutarchi verba (c. 16 § 5): *„μετ' ἐκείνου γὰρ οἴεσθαι μόνον τὴν τρυφὴν καὶ τὴν μαλακίαν ὥςπερ ὕδραν*

[1]) Praeterea senatori nota affecto ad populum confugiendi ius fuisse atque censorem apud populum notae causam unquam explicasse recte negaverunt Jordanus Caton. prol. p. LXXIX. Mommsenius (Röm. Gesch. I. 800 (ed 5). Langeus (Röm. Alterth. I. 684 (ed. 2).

[2]) Die Röm. Quellen des Livius in der IV. und V. Dekade p. 147. Philologus Sppl. Bd. III. 2. Gött. 1878.

τέμνων καὶ ἀποκαίων προύργου τι ποιήσειν“ quae Peterus l. l. p. 91 ut eadem inter se componit, tam diversa sunt a Livii verbis, ut discrepantiae nequaquam ea re declarentur, quod Plutarchum res exornasse dicimus. Quae deinde apud Plutarchum sequuntur, magis etiam quam antecedentia a Livii narratione differunt, ut perspicuum sit Plutarchum hoc loco Livii auctoritate minime niti. —

Iam restat ut Plutarchi cap. 18—19 cum Livii libri XXXIX cap. 44 componamus:

Liv. c. 44.

Ea res a Livio non refertur, immo vero Scipionem anno post Catonem censorem 183 a. Chr. mortuum esse contendit cap. 52.

Plut. c. 18.

§ 1. *ἔδοξε γὰρ οἷον ἐψυβρίζων Ἀφρικανῷ Σκιπίωνι τεθνηκότι τοῦτο ποιῆσαι.*

Scipionem igitur iam ante Catonem censorem mortuum esse vult.

Extremum Plutarchi caput 18 nimirum iis fabulis quae a Plutarcho adduntur demptis prorsus alienum a Livio est.

Plutarchi capite 19 etsi nonnulla cum Livii narratione congruunt, tamen tantae discrepantiae nobis occurrunt, quantae si Plutarchus hoc loco Livio usus esset, exstare non potuissent.

Hae fere sunt:

Plut. c. 19.

§ 2. *οἱ δὲ περὶ τὸν Τίτον συστάντες ἐπ᾽ αὐτὸν ἔν τε τῇ βουλῇ κ. τ. λ. — καὶ τῶν δημάρχων τοὺς θρασυτάτους παρώξυναν ἐν δήμῳ προσκαλέσασθαι τὸν Κάτωνα καὶ ζημιῶσαι δυσὶ ταλάντοις. — πολλὰ δὲ καὶ πρὸς τὴν τῆς βασιλικῆς κατασκευὴν ἠναντιώθησαν.*

Apud Livium horum omnium nihil legitur.

In sequentibus Plutarchus narrat populum Catoni ob censuram strenue atque integre administratam statua posita, cuius inscriptionem Plutarchus Graece vertit, gratiam rettulisse. Ea res apud Livium deest. Alia contra a solo Livio, sed non a Plutarcho referuntur, velut de aestimatione mancipiorum, quae annis viginti minora erant, atque ea res quod Livius temporis spatium, scilicet triginta dierum, intra quos aedificia in loca publica inaedificata diruenda essent, accurate definivit. Denique apud Plutarchum universae de Catonis censura narrationis color adversus Catoni, apud Livium propitius est. Conf. Livii cap. 40: sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat.

Quibus omnibus de Plutarchi capitibus 16—19 diligenter examinatis atque perpensis persuasum habeo Peterum falsum esse, cum Plutarchum per haec capita de Catonis censura Livium auctorem habuisse contendat. Quid quod Sigonius (Livi opera c. scholiis Sigon. Venet. 1555) ad hunc locum annotavit, Plutarchum totam hanc Catonis censuram Graece e Livio vertisse. Hoc omnino ex vano hausit. Itaque demonstrasse mihi videor Plutarchum per cap. 16—19 neque Livii neque ipsius Catonis, quamquam cap. 10—14 quae de Catone consule et tribuno militum narrantur ab ipsis Originibus repetenda sunt, libris usum esse. Huic enim sententiae ea res opponenda est, quod Plutarchus cap. 17 a Catonis narratione, quam Livius (XXXIX, 42—43) nobis servavit, prorsus abhorret. Quis fuerit ille auctor, quo Livius hoc loco uteretur, vix pro certo affirmandum sit. Annalium scriptorem, quem Nissenius vult, iam Peterus reiecit. Neque Valerius

Antias, quocum Plutarchus Flaminini flagitium describens discrepat, cum ille Livio teste de femina famosa Placentina, non de *μειρακίῳ* narraverit, neque Claudius Quadrigarius, quem is neque usquam laudavit neque secundum Peteri quaestiones inspexit, ii fuisse videntur, quos Plutarchus in his capitibus conficiendis in usum vocaverit. Equidem putaverim totam hanc narrationem a Plutarcho adlatam esse e Polybio. Nam etsi ipsius Polybii de his rebus narratione perdita neque apud Appianum aliosve posteriores servata (Nissen Krit. Unt. p. 333) comparando examinare non possumus, tamen ex ea re, quod universus color atque tenor Plutarchi narrationis Scipionibus iisque, qui ab eorum parte steterunt, favent, Catoni autem adversi sunt, apparere videtur Polybium hoc loco fuisse auctorem. Ad hanc sententiam comprobandam hi loci conferantur: Plut. c. 15 § 2: *τοῦτον μὲν οὖν ἀπ᾽ οἴκου τε μεγάλου καὶ φρονήματος ἀληθινοῦ ποιησάμενον ὑπὸ πόδας τὰς διαβολὰς μὴ ἀποκτεῖναι δυνηθεὶς ἀφῆκε*· (cf. compar. c. 5 § 4: *τέλος δὲ μηχανώμενος ἀεὶ . . . . . περιέβαλεν.*). ib. § 5. *Σκιπίωνι γάρ, ὡς λέλεκται, τῷ μεγάλῳ πολλὰ διερισάμενος ἐν τῇ πολιτείᾳ διέτεινεν εἰς Σκιπίωνα τὸν νέον*[1]). — c. 16 § 3: *τοὺς μὲν γὰρ εὐπατρίδας ὁ φθόνος ἐλύπει, παντάπασιν οἰομένους προπηλακίζεσθαι τὴν εὐγένειαν ἀνθρώπων ἀπ᾽ ἀρχῆς ἀδόξων εἰς τὴν ἄκραν τιμὴν καὶ δύναμιν ἀναβιβαζομένων.* — ib. § 4. *ἀντιπάλους τῷ Κάτωνι θεραπεύοντας ἐλπίσι χρησταῖς τὸ πλῆθος* (at re vera perniciosae erant haece spes). — c. 17 § 1. — c. 18 § 1. Catonem L. Scipioni *„θριαμβικῷ ἀνδρὶ“* equum ademisse, nempe *ἔδοξεν ἐψυβρίζων Ἀφρικανῷ Σκιπίωνι τεθνηκότι τοῦτο ποιῆσαι.* Tam improbi animi autem Cato minime fuit, ut vel mortuos impie illuderet, atque valde discrepant haec verba cum locis ex ipsius Catonis scriptis a Cicerone (de offic. III, 1, 1. de republ. I, 17, 27) allatis, quibus Catonem in Scipione maiore quae praeclara sunt laudantem facit. Denique addantur c. 18 § 2 et § 5.

Attamen haec tota narratio, quae in universum Polybio deberi mihi videtur, aliis quoque fabellis aspersa est. Sic cap. 15 paragraphi 3—4, quarum auctoritas et voce *„λέγεται“* bis addita et testimoniis de Catonis aetate a veritate abhorrentibus debilitatur atque infringitur, aliunde, haudscio an e dictis Catonianis sumptae sint. Itaque capita 15—19, quibus Plutarchus de Catonis censura narrat, permagnae auctoritatis fideique existimanda sunt atque id agunt, ut Livii narratio iis suppleatur.

Postremo Nissenius et Peterus inter se dissentiunt de Plutarchi capitibus 20—23. Ille contendit cap. 20 petitum esse e Catone et e vita. excerpta eadem esse atque Aemilii Paulli cap. 21. — cap. 22 e Polybio. — cap. 23 e Catone. At hic omnia e dictis Catonianis collecta et conglutinata esse vult. Verum tamen valde dubitaveris num haec capita e dictis Catonianis conferta sint, quippe cum tenor totius narrationis continuus exstet. Capitibus enim 20—21 de vita domestica et de liberorum educatione, de servis et usuris, capitibus 22—23 de Catonis animo ab Atheniensium legatis et a litteris Graecis alieno disseritur. Sin autem e dictis Catonianis Plutarchus singula conquisivisset atque congessisset, haec capita eodem modo atque cap. 7—9, quibus indigesta *ἀπομνημονευμάτων* copia a Plutarcho sine ulla dubitatione e dictis collata continetur, sine ordine atque discrimine permixta essent. Neque varius ille fontium conspectus quem Nissenius confecit valde mihi arridet, praesertim cum narrationes e diversis

[1]) Cuius virtutem Catonem laudasse hisce verbis: *„Οἷος πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.“* testantur Polybius (XXXVI, 6, 6 ed. Tauchn.), Livius (perioch. 49.) Plutarchus (vit. Cat. 27 § 4.), Diodorus (XXXII, 14.).

scriptoribus tam carptim congerere Plutarchum non solere Peterus demonstraverit. Iam si Nissenius ea quae de filii educatione cap. 20 exponuntur propter verba illa, crebro interposita *ἡγούμενος, ἔλεγε, φησὶν* ex ipso Catone petita esse putat, haec verba laudata in hac quidem vita minoris momenti esse iam supra demonstravi atque praeterea illae voces item cap. 1—4 persaepe leguntur, quae capita e vita orta esse ne Nissenius quidem negat. Qua de causa Plutarchum omnia illa *φησὶν, ἔλεγε κ. τ. λ.* apud illum vitae scriptorem legisse atque in librum suum transtulisse verisimillimum est. Nam huius morem fuisse, ut locos laudatos non e primo sed e secundo fonte hauriret itaque aliorum doctrina et testimoniorum colligendorum diligentia excelleret, Peterus passim probavit. Propterea cap. 20—21, quibus de Catonis vita domestica et de liberorum educatione, de servis et usuris refertur, nonnisi e vita hausta esse censeo.

Cap. 22, quo Plutarchus exponit, quam infenso in Atheniensium legatos animo Cato fuerit, et de eius a litteris Graecis alieno animo nonnulla affert, rerum ordinem distrahi et interrumpi manifestum est scriptoremque alio fonte abiecto alium assumere. Conferantur ea verba, quibus cap. 22 incipit: *Ἤδη δὲ αὐτοῦ γέροντος γεγονότος πρέσβεις Ἀθήνηθεν ἦλθον κ. τ. λ.* Accedit quod narrationis color in universum Catoni adversus est, ut cum Nissenio consentiam cap. 22 exscriptum esse e Polybio. Quae existimatio eo confirmatur, quod quae e Polybii narratione Gellius (noct. Att. VI, 14, 8—10 Hertz.) nobis prodidit, cum hoc capite non repugnant.

Cap. 23 Plutarchus eundem fontem atque cap. 20—21 i. e. vitam, narratione de Atheniensium legatis inserta in usum vocat. Attamen si illi *„ἔνιοι“* (cap. 23 § 1), in quorum numero Polybius habendus est, Catonem *„Καρνεάδῃ δυσχεράναντα“* tam infesto animo in legatos fuisse declaraverant, Plutarcho id non placuit itaque eius rei causam Catonis in universos philosophos odium statuit similiter atque Plinius nat. hist. VII, 30, 112 (ed. Detlefsen).

Deinde Plutarchus denuo vitam nonnullis de Catonis animo a litteris Graecis alieno insertis exscripsit atque ex eodem fonte cap. 24—25, quibus de Catonis vita domestica, de eius altero matrimonio, de filio maiore natu, de conviviis narrare pergit, sumpta esse luce clarius est. Praeterea eum cap. 23—25 eundem auctorem atque cap. 20—21, nimirum vitae scriptorem secutum esse, ea quoque re apparet, quod narrationes de Catonis filio et cap. 20 et cap. 24 exhibitae inter se consentiunt.

Reliquum est ut strictim attingam O. Ribbeckii[1]) iudicium, qui Plutarchum in hac vita describenda Cornelio quoque Nepote usum esse contendit. At nequaquam verisimile est, cum Plutarchus si Nepotem quamvis celeri obtutu inspexisset, non modo Catonem Origines appellasse historias suas scire debuisset, sed etiam de Originum singulorum librorum argumentis, de quibus in libro de Catonis vita separatim facto (Nep. Cat. 3, 5). copiosius quam in vita nobis servata quin a Nepote tractatum sit non potest dubitari, certior factus esset. Plutarchum autem illa ignorasse exilibus eius de Catonis scriptis annotationibus cognoscimus. Praeterea Nepotis testimonia, Catonem pugnae Senensi interfuisse, aedilem plebis cum Helvio factum esse apud Plutarchum non leguntur. Denique ea, quae Nepos c. 2, 2 de Scipione maiore refert, cum Plutarchi narratione (c. 11 § 1) prorsus discrepant.

[1]) M. Porcius Cato als Schriftsteller. cf. Neues Schweiz.-Museum Bern 1861 t. I. p. 7 sq.

Sed ut tandem de vitae Catonis fontibus brevi sententia complectar, ita censeo: Plutarchum hoc ordine ac serie usum esse hisce fontibus:

cap. 1—6: vita.
cap. 7—9: dictis Catonianis.
cap. 10—14 de Catonis rebus bello gestis: Originibus per medium auctorem.
cap. 15—19. de Catonis orationibus actionibusque forensibus atque civilibus: Polybio (exceptis c. 15 § 3—4).
cap. 20—25: vita (excepto cap. 22: Polybio).
cap. 26—27: Polybio.

Haec hactenus de Plutarchi vitae Catonis fontibus. Pluribus autem de hac re disputandum esse putavi, ut appareret, quae partes huius vitae, qua pleraque eaque maximam partem potiora testimonia de Catone maiore nobis tradita sunt, melioris quaeve peioris auctoritatis essent. Nunc paucis de nonnullis aliis auctoribus, quos supra enumeravi, absolvam. Attamen singulos et singula persequi mihi non est propositum, praesertim cum de eorum auctoritate minus quam de Plutarcho ambigatur atque ea in universum iis qui in litterarum studiis versantur pervulgata notaque sit. Et Ciceronis quidem testimonia de Catone maiore, quae in libris qui „de senectute“ et „Brutus“ inscribuntur permulta memoriae prodidit, summae auctoritatis nobis existimanda sunt, propterea quod ex ipsius multis atque variis scriptis apparet eum non modo rerum gestarum memoria valuisse, sed etiam Catonis scripta penitus novisse. De hac autem re dubitare non poterimus, si meminerimus Ciceronem persaepe cum laudasse Origines, (velut de off. III, 1, 1: „scribit Cato“. de republ. I, 17, 27: idem. pro Plancio 27, 66: „in principio scripsit Originum.“ Tusc. I, 2, 3: „est in Originibus“. Tusc. IV, 2, 3: „gravissimus auctor Cato in Originibus dixit“. Brut. 19, 75: „in Originibus scriptum reliquit Cato.“ Tusc. I, 42, 101. de sen. 20, 75: „scribit Cato in Originibus,“) Catonis orationes (Brut. 17, 65. 20, 80. 23, 89. de off. III, 29, 105. de sen. 5, 14. 18, 62.), librum de re rustica (de sen. 15, 54), *ἀποφθέγματα* (de off. I, 29, 104. de orat. II, 67, 271) epistulasque (de off. I, 11, 36. 37.); tum maxime Catonem et scriptorem et oratorem, magnis laudibus sustulisse, ut de orat. I, 37, 71. 49, 215. de orat. III, 33, 135. Tusc. IV, 2, 3. Brut. 16, 63. 17, 65. 66: „Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent?“ Atque sine ira et studio, ut Taciti verbo utar, de Catone iudicium eum tulisse ea re cognoscimus, quod in huius vitiis minime connivit, velut Brut. 17, 68: „antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba“, orat. 45, 152: „in orationibus illis horridulis Catonis voces non esse distractas“. [1]) Praeterea Cicero aegre tulit ex oratoribus sui temporis perpaucos Catonis libros legisse aut omnino novisse (Brut. 17, 65), quod non fecisset, nisi ipse Catonianorum scriptorum diligentissimus fuisset. Postremo Catonis vitae tam peritus est, ut accurate sciat, quibus annis singulis honoribus ille perfunctus sit aut singulas orationes habuerit, atque adeo testetur Catonem anno

[1]) Illud autem iudicium, quod Brut. 85, 293 sq. cum capite 17 discrepans de Catonis scriptis fertur, non Ciceronis sed Attici est, sicut de leg. I, 2, 6. Closset dicit: „Atticus plaisantait.“ (Essai sur l'historiographie des Romains p. 457. Annales d. Universités de Belgique a. 1847—8. Bruxelles 1850. p. 389 sq.)
Equidem puto nullam esse causam, cur e hoc loco concludamus Ciceronem in Catone laudando diiudicandoque sibi non constitisse, quod fecit Drumannus (Geschichte Roms V p. 146. Königsberg 1841.).

150/604, nam hoc anno dialogum de senectute inter Catonem Scipionem minorem Laeliumque habitum fingit (de sen. 5, 14), septimum Originum librum composuisse eamque ob rem omnia antiquitatis monumenta collegisse (de sen. 11, 38). Neque unquam Cicero in annis et narrationibus de Catonis vita passim traditis secum repugnat, sed omnia inter se consentiunt. Quae cum ita sint, quis est qui dubitet, quin Cicero in Catonis scriptis legendis versatus sit? Neque fieri potest, ut Petero assentiar, qui Ciceronem in dialogo de senectute conficiendo similem collectionem atque dicta Catoniana inspexisse neque ipsius Catonis libros evolvisse arbitretur (Quell. Plut. p. 92 an. 2). Quod si Jordanus Catonis proleg. p. CVI dicta Catoniana ante Ciceronis et Cornelii Nepotis aetatem collecta et edita esse suspicatur, haec sola est meraque suspicio neque ullis testimoniis probatur. Nam illa *ἀποφθέγματα* a sene Catone ex aliis scriptoribus excerpta collectaque, quae Cicero novit atque e quibus nonnulla protulit (de off. I, 29, 104. de orat. II, 67, 271.) prorsus alia esse atque illa dicta Catoniana a posteris e Catonis scriptis congesta luculentissimis argumentis Jordanus ann. phil. nov. LXXIII p. 384 sq. demonstravit. Ceterum Peterus posteriore tempore opinionem suam mutasse videtur, cum hist. Rom. relliquiarum proleg. p. CXXXXI contendat Ciceronem Catonis Origines multum lectitasse.

Iam vero de Cornelii Nepotis et Livii auctoritate verba frustra consumere noluerim, cum praeclarae quaestiones de his auctoribus satis superque exstent. Satis habeo uno verbo commonefecisse eorum, quae Nipperdeius [1]) de Nepotis atque de Livii auctoritate eorum librorum, qui ad rem propositam spectant, Nissenius [2]) et Ungerus [3]) argute doctissimeque disseruerunt.

Libri denique de viris illustribus auctoritas valde incerta est neque ei, nisi cum aliis melioribus scriptoribus congruit, fides habenda est. Haec sunt quae habui de vitae Catonis fontibus eorumque auctoritate. Nunc accedamus ad ipsam Catonis vitam narrandam.

§ 2. De vita Catonis.

1) De anno natali.

M. Porcius M. F. Cato, sic enim consul in fastis Capitolinis sub anno 195/559 nominatur, Catonis Uticensis proavus (Cic. pro Archia 9, 22. de fin. III, 11, 37. Plut. Cat. mai. 27, 5. Gell. n. A. XIII, 20, 3.) Tusculi, quod erat municipium, natus est. [4]) Quo anno natus sit, etsi veteres scriptores inter se dissentiunt, tamen si annum natalem statuamus 234/520, minime a veritate deflectere nobis videbimur. Nam de hac re controversia exstat inter veteres scriptores, quorum alteri Catonem 234/520, alteri 239/525 natum esse volunt. Atque ab horum parte stant Livius, qui (XXXIX, 40) Catonem sextum et octogesimum annum agentem causam dixisse, nonagesimo autem anno Ser. Galbam ad populi iudicium adduxisse dicit, et Plutarchus Cat. mai. 15, 4:

[1]) edit. Nepotis (Lips. 1849) praefat. p. XXI sq.
[2]) Kritische Untersuchungen etc.
[3]) Röm. Quellen des Livius l. l.
[4]) Cic. de rep. I, 1, 1. Brut. 85, 294. de leg. II, 2, 5. pro Sulla 7, 23. pro Plancio 8, 20. Valer. Maxim. III, 4, 6. Vellei. II, 128, 2 (ed. Fr. Haase, Lp. 1874). Nepot. Cat. 1, 1. Tac. ann. XI, 24. Plut. Cat. mai. 1, 1. comp. Arist. et Cat. 1, 3. *ἐκ πολίχνης τε μικρᾶς καὶ διαίτης ἀγροίκου δοκούσης.* Gell. n. A. XIII, 24, 2. lib. de vir. illustr. 47, 1.

„λέγεται γὰρ ὀλίγου ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας, [1]*) μίαν δὲ τελευταίαν ἓξ ἔτη καὶ ὀγδοήκοντα γεγονώς . . . . τεσσάρων δ' ἄλλων ἐνιαυτῶν διελθόντων Σερουίου Γάλβα κατηγόρησεν ἐνενήκοντα γεγονὼς ἔτη.“* Valerius denique Maximus (VIII, 7, 1) refert sextum et octogesimum annum agentem ab inimicis capitali crimine accusatum eum causam suam egisse. Tres igitur hi auctores inter se consentiunt. Et hoc quidem constat anno 149/605 L. Scribonium Libonem tribunum plebis in Ser. Sulpicium Galbam, qui praetor anno ante magnum Lusitanorum numerum contra interpositam fidem interfecerat, rogationem tulisse eamque Catonem acerrima oratione, cuius adhuc pauca fragmenta exstant apud Jordanum (Caton. p. 27 Orig. l. VII, 1—3), suasisse. [2]) Hoc igitur anno Catonem nonaginta annos natum esse Livius et Plutarchus contendunt. Quod si hos annorum numeros computamus, Catonis annus natalis 239/515 efficitur. Attamen Ciceronem, gravissimum auctorem, quinque post annis Catonem natum esse voluisse ex eius scriptis cognoscimus. Scribit enim Brut. 20, 80: „et vero etiam tum Catone vivo — qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit“ — (ergo 149 + 85 = 234) et de sen. 4, 10 dicit Catonem natum esse anno ante Q. Fabium Maximum primum consulem, qui fuit consul 233/521, itaque Catonem natum esse 234/520. Idem vult Cicero de sen. 10, 32: „Quartum ago annum et octogesimum“, Cato enim ipse de se loquitur, idque anno a. Chr. 150/604 u. c., quo Cicero dialogum de senectute habitum fingit (ib. 5, 14. 14, 50: de huius P. Scipionis etc. Lael. 3, 11.); efficitur autem annus 234, nam 150 + 84 = 234; item de sen. 14, 50: „Vidi etiam senem Livium; qui cum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset Centone Tuditanoque consulibus i. e. 240/514. etc. ergo 240—6 = 234. Atque ceteris locis, ubi de Catonis aetate exponit, Cicero semper in hac ratione habita sibi constat. (cf. de sen. 5, 14, 12, 39. 13, 45. Brut. 15, 60. 61. 14, 50.). Nec minus cum Cicerone conspirat Plinius (nat. hist. XXIX, 8, 15), qui scribit: „Atque hic Cato DCV anno urbis nostrae obiit, LXXXV suo“ quod spectat ad annum natalem 234/520. Quin etiam ipse Plutarchus inscius atque invitus a Ciceronis parte stat, cum secum repugnans alio loco narrat Cat. mai. 1, 6: *„φησὶ γὰρ αὐτὸς ἑπταικαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν, περὶ ὃν Ἀννίβας χρόνον εὐτυχῶν ἐπέφλεγε τὴν Ἰταλίαν.“* [3]) Idem apud Cornelium Nepotem Cat. 1, 2 legimus: „primum stipendium meruit annorum decem septemque.“ cfr. Plin. nat. hist. praef. Septendecim autem annos Cato natus fuit secundum Livii sententiam 222/532, Cicerone autem auctore 217/537. Atqui illo anno Hannibal Alpibus superatis nondum in Italiam profectus erat, hoc autem anno bello Punico secundo exorto Italia iam vastabatur. Ergo hac re perspicuum est Livium falsum esse et praeterea eius testimonio exiguam fidem habendam esse, si meminerimus Livium eam annorum computationem e Valerio Antiate, auctore incerto

[1]) Plin. nat. hist. VII, 27, 100 et auctor de vir. ill. 47, 7 accuratius definiunt quater et quadragies Catonem causam dixisse semperque absolutum esse.
[2]) Cic. Brut. 20, 80. 23, 89. Liv. perioch. 49. cf. Lange Röm. Alterth. II², p. 302. Mommsen Römische Gesch. II⁵, p. 8.
[3]) Cui testimonio magna fides habenda est, quia ex ipsius Catonis scriptis a vitae auctore illud sumptum esse supra demonstravi. cf. Nissen Krit. Unt. p. 292. 297. Accedit quod cum illo alia Plutarchi annotatio congruit ib. 2, 3: *„Φαβίου δὲ Μαξίμου τὴν Ταραντίνων πόλιν ἑλόντος* (209/545) *ἔτυχε μὲν ὁ Κάτων στρατευόμενος ὑπ' αὐτῷ κομιδῇ μειράκιον ὤν.* Idem Cicero de sen. 4, 10: adolescentulus miles etc. Hoc igitur anno Cato annos 25, non 30 natus fuit. Huius autem testimonii Plutarchus oblitus cum c. 15 aliam rationem proferret res confudit.

(Nissen Krit. Unt. p. 43. sq. Peter hist. Rom. rell. prol. p. CCCVII sq.) sumpsisse, quod Ungerus quidem contendit. (Philol. Suppl. Bd. III, 2 p. 143). Postremo si auctor de vir. illustr. 47, 7 Catonem annos octoginta natum Galbam accusasse atque filium genuisse refert, haec ratio tam prava est, ut eius diversitas nullius sit momenti.

2. De cognominibus.

Cognomina Catonis invenimus Censorii,[1]) Sapientis,[2]) Oratoris,[3]) Senis.[4]) Sed tantum abest ut his cognominibus Cato vivus ab aequalibus appellatus sit, ut mortuo demum posteri hunc honorem tribuerint. Nam verbis Ciceronis Lael. 2, 6: „propterea quasi cognomen iam habebat (scil. Cato) in senectute Sapientis" aperte declaratur Catoni viventi illud cognomen non fuisse. Plutarchus autem (Cat. mai. 1, 2) eum, priusquam Catonis cognomen adeptus esset, *„τῷ τρίτῳ τῶν ὀνομάτων"* Priscum appellatum esse cum contendat, valde errasse videtur, quia neque rem ita se habere verisimile est neque quidquam huc spectans apud ceteros auctores invenitur. cf. Drumann Gesch. Roms V p. 97. — Immo vero ne a posteris quidem Priscum eum nominatum esse demonstrari potest, nam quibus locis Catoni additur vox „priscus" semper adiectivi loco ponitur.[5]) Plutarchum igitur, qui persaepe voces Latinas non recte intellexit neque vertit (cf. Peter Quellen Plut. p. 61), hoc quoque loco res perspicuas commiscuisse et confudisse verisimillimum est. Hoc quidem verum est Catonem suae gentis primum fuisse, qui hoc cognomine affectus esset, nam eius maiores universos Porcios, non Catones vocatos esse ostendit Dumannus l. l. p. 93 sq. Sin vero Plutarchus censet: *„ὕστερον δὲ τὸν Κάτωνα τῆς δυνάμεως ἐπώνυμον ἔσχε"* linguae Latinae parum peritus fallitur, quippe cum, si propter prudentiam hoc cognomen ei datum esset, Catum, non Catonem eum appellari oporteret, velut Sex. Aelium Paetum consulem 198/556 censorem 194/560, propterea quod iuris peritissimus esset, Catum nominatum esse Cicero testatur (de rep. I, 18, 30. Tusc. I, 9, 18. de orat. I, 45, 198. 48, 212. III, 33, 133. de sen. 9, 27).

3. De honoribus et rebus gestis.

Septendecim annos natum 217/537 Catonem prima stipendia fecisse eo tempore, cum Hannibal victor Italiam vastaret, Nepos (Cat. 1, 2.) Plutarchus (Cat. mai. 1, 6) referunt additque hic, eam rem ipsius Catonis scriptis traditam esse. Nam sic intellegenda esse verba *„φησὶ γὰρ αὐτὸς"* supra demonstravi. cf. Nissen Krit. Unt. p. 292.

[1]) Plin. nat. hist. VII, 30, 112, 113. aliasque (ed. Detlefsen) Senec. ep. 87. Tac. ann. III, 66. Flor. epit. I. 33, 9 (ed. C. Halm. 1872. Teubner.) Gell. n. A. XIII, 20, 3. Gell. XIII, 6, 14. nam XIII, 24, 1. non cognomen, sed appellatio atque dignitas est. — Eodem modo iam diu ante Catonis tempora C. Marcius Rutilius, qui anno 294/460 et 265/489 censor fuit, ob hunc honorem Censorinus appellatus est. cf. Fastos capitol. s. a. 489 u. c.: „Cens. C. Marcius C. F. L. N. Rutilius II qui in hoc honore Censorinus appell. e." — cf. Mommsen Corp. I. Lat. I nr. 1166: „ob hasce res censorem fecere bis . . . . Censorino."

[2]) Cic. de sen. 2, 5. Lael. 2, 6. div. in Caecil. 20, 66. Verr. II, 2, 5. (Verr. V, 70. leg. agr. II, 24. de leg. II, 2. qui loci apud Paulyum (Realencycl. t. V. p. 1904) laudantur, nihil valent ad hanc rem comprobandam.) de off. III. 4, 16. Tertull. apol. c. 11.

[3]) Trogi Pomp. hist. Philipp. XXXIII, 2, 1; contra Gell. n. A. XVII, 21. 47 non est cognomen, sed attributum.

[4]) Cic. Cat. mai. 1, 3. de off. II, 25, 89. Tac. de orat. 18.

[5]) Hor. carm. III, 21. 11 nihil demonstratur, cum hoc loco adiectivum sit, cf. ib. epist. II, 2, 117 et Scholia ad h. l. (ed. Hauthal. Berolini 1864). cf. Lessing, Vademecum für Past. Lange. Horaz. Od. III, 21. —

214/540 Q. Fabio Maximo Verrucosso IV. M. Claudio Marcello III consulibus Cato adulescentulus miles cum Fabio consule in Campanos et Samnites profectus est. (Cic. de sen. 4, 10. Liv. XXIV, 12. 19. 20). Nam ad hunc maximae auctoritatis virum se accommodaverat, cuius mores et vitam ut praeclara exempla imitaretur. (Cic. de sen. 4, 10. 12. Plut. Cat. mai. 3, 4.) Cornelius Nepos (Cat. 1, 2) a Cicerone dissentiens Catonem hoc anno Q. Fabio M. Claudio consulibus tribunum militum in Sicilia fuisse narrat idemque legitur in libro de vir. illustr. 47,1. Quae res vix credibilis est. Nam in Sicilia praetores fuerunt illo anno P. Cornelius Lentulus et T. Otacilius Crassus (Liv. XXIV, 9. 12); at Catonem eo anno cum Fabio fuisse e Cicerone constat. Deinde e Nepotis verbis: „tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam" concludamus necesse est Catonem usque ad C. Claudium Neronem consulem 207/547 per septem annos in Sicilia mansisse Nepotem putasse. Quod vehementer a veritate abhorret. Denique num adulescentulus viginti annorum isque homo novus (Cic. de rep. I, 1, 1. Liv. XXXIX, 40. 41. Plut. Cat. mai. 1, 2. 16, 3.) tribunus militum fuerit, valde dubitandum est, praesertim cum Polybius (hist. VI, 19, 1) nos doceat nullum iuvenem eo tempore tribunum militum fieri potuisse, priusquam quinque militias ad minimum sustinuisset. Verba sunt haec: *„ἐπειδὰν ἀποδείξωσι τοὺς ὑπάτους, μετὰ ταῦτα χιλιάρχους καθιστᾶσι, τεσσαρεσκαίδεκα τῶν πέντε ἐνιαυσίους ἐχόντων ἤδη στρατείας, δέκα δ' ἄλλους σὺν τούτοις ἐκ τῶν δέκα."* Attamen Cato initio anni 214/540 tria tantum annua stipendia meruerat et se legitima stipendia omnia meruisse ipse dicit in oratione de suis virtutibus contra Thermum habita: „Quid mihi fieret, si non ego stipendia omnia ordinarius meruissem semper." (Jordan Cat. orat. rel. XI, 2 p. 43). Itaque fieri non potuit, ut Cato illo anno iam tribunus militum factus esset. Drumannus (Gesch. R. V p. 99) quidem, qui Catonem 214/540 tribunum militum fuisse contendit, militem tribunum quoque militarem significare vult. Sed valde dubito, num res ita se habeat, cum Cicero, qui hoc anno eum militem fuisse scribit, aliis locis Catonem „tribunum" vel „tribunum militarem" appellet atque militem et tribunum militarem expressis verbis distinguat (Cat. mai. 6, 18. 10, 32. pro Plancio 11, 27. 28). Langeus [1]) eum anno 207/547 demum tribunum factum esse vult. Mommsenius [2]) nihil distinctius de ea re exponit.

Anno 209/545 Q. Fabio Maximo Verrucosso V Q. Fulvio Flacco IV consulibus admodum adulescens (*κομιδῇ μειράκιον ὤν* Plut. C. mai. 2) militavit sub Q. Fabio, cum Tarentum reciperet. (Cic. de sen. 4, 10. 12, 39. Plut. Cat. mai. 2, 3). Forsitan Fabius eum contubernalem secum habuerit,[3]) sicut Cn. Plancius A. Torquati contubernalis in Africa, tum 68/686 Cn. Saturnini in Creta, postremo 62/692 tribunus militum in Macedonia fuit (Cic. pro Plancio 11, 27. 28.).

Anno 207/547 C. Claudio Ti. F. Ti. N. Nerone M. Livio M. F. M. N. Salinatore II consulibus Cato auctore Nepote (Cat. 1, 2) Claudii Neronis castra secutus est atque fortissimum se praestitit in pugna Senensi, qua Hasdrubal cum recentibus ex Hispania copiis Hannibali fratri auxilio venturus cecidit eiusque exercitus deletus est. In hac re solis Nepotis verbis nitendum est, cum

[1]) Röm. Alterth. II³ p. 191.

[2]) Röm. Gesch. I³ p. 826 et alibi.

[3]) Cic. de sen. 4, 10: Ego Q. Maximum senem adulescens ita dilexi ut aequalem. ib. 12: cuius sermone ita tum cupide fruebar etc. — Plut. Cat. mai. 3, 4: *Μαξίμῳ Φαβίῳ προσένειμεν ἑαυτὸν π. τ. λ.*

ceteri scriptores in hac pugna narranda de ea re taceant. (Polyb. XI, 1—3. Liv. XXVII, 46—49. Valer. Max. VII, 4, 4. Eutrop. III, 18. Orosius IV, 18. Zonar. IX p. 432.). —

Hoc autem anno Langeus l. l. eum tribunum militum factum esse censet, quod locis allatis non demonstratur. Sed magis consentaneum esse mihi videtur eum iam anno ante (208/546) decem stipendiis peractis comitiis ad hunc honoris gradum pervenisse,[1]) praesertim cum Plutarchus quoque eum post Tarentum a Fabio receptum et antequam quaesturam peteret *χιλιαρχίαν* obtinuisse velit. (Cat. mai. 2, 3. 3, 3). Utrum trib. mil. Rufulus, liceat mihi hac voce uti, etsi e lege Rutilia 169/585 demum in usum ea vocata est,[2]) an comitiatus fuerit, pro certo affirmari vix potest. Nam etsi eo tempore quattuor annuis legionibus tribunos militum XXIV omnes populus creavit, quam rem iam ante bellum Punicum secundum factam esse Mommsenius vult,[3]) tamen Cato in eorum numero fuerit non necesse est, cum in ceteras legiones, quae illis quattuor exceptis insuper septendecim eo anno conscriptae sunt (Liv. XXVII, 22), a consulibus mitti posset. Nam consules hoc fecisse Livius XXVII, 36 testatur.

Post pugnam Senensem hortatu L. Valerii Flacci Cato annum XXVIII agens Romam penatibus translatis cum in foro iudiciisque versaretur statim admiratores atque amicos patrociniis sibi comparavit (Nep. Cat. 1, 1. Plut. Cat. mai. 3, 3. comp. Arist. et Cat. 1, 3. de vir. ill. 47, 1). Plutarcho ea iam ante tribunatum militarem facta esse videntur, sed omnia ad temporum ordinem spectantia confundit, cum eum iam ante annum aetatis XVII in oppidis Sabinis causas egisse contendat (Cat. mai. 1, 4 sq.), quod omnino fieri non potuit. Praeterea qui erat certus magistratuum ordo a Mommsenio[4]) praeclaris argumentis confirmatus, ut ceteri iuvenes Romani tribunatu militari perfuncti inter viginti sex viros allegebantur, ita Cato quoque, fortasse decem vir stlitibus iudicandis, inter tribunatum et quaesturam hoc munus adeptus esse videtur.

Anno 204/550 M. Cornelio M. F. M. N. Cethego P. Sempronio C. F. C. N. Tuditano consulibus Cato quaesturam gerens P. Scipionem proconsulem in Africam bellum Punicum translaturum secutus est.[5]) Cum Cicero Brut. 15, 60 contendat: „at hic (scil. Cethegus) consul cum P. Tuditano (204/550) fuit bello Punico secundo quaestorque his consulibus M. Cato modo plane annis CXL ante me consulem", haec ratio non prorsus recte se habet. Nam annis CXL ad annum LXIII Ciceronis consulatus additis efficitur annus 203/551. At Ciceronem de anno 204/550 cogitasse apparet e sequentibus verbis: „nam Plautus P. Claudio L. Porcio viginti annis post illos, quos ante dixi (Cethegum Tuditanum), consulibus mortuus est Catone censore". Conferantur etiam de sen. 4, 10. Nepotem Cat. 1, 3 cum dicat Catonem quaestorem obtigisse P. Africano consuli, qui fuit 205/549, errasse voluerunt nonnulli homines docti falsoque scripsisse „consuli" loco p r o consulis. Sed mihi quidem Nepos haudquaquam annos confudisse videtur. Verba enim Nepotis haec sunt: „quaestor obtigit P. Africano consuli, cum quo non pro sortis necessitudine

[1]) Polyb. VI, 19, 1. Caton. orat. rel. XI. 1. Jordan. p. 43.
[2]) Lange Röm. Alterth. II, p. 271.
[3]) Rom. Staatsrecht Leipz. 1871. Bd. I p. 102. cf. Röm. Gesch. I p. 800. — Langei R. A. II, 167. 609 sententia, quae mihi minus probatur, anno 207/547 id factum est.
[4]) Röm. Staatsr. I. p. 461.
[5]) Cic. de sen. 4, 10. 10, 32. 13, 45. Liv. XXIX, 25. Plin. nat. hist. praef. 30. Plut. Cat. mai. 3, 3. 5. lib. de vir. ill. 47, 1.

vixit namque ab eo perpetua dissensit vita". Haec quidem recte se habent, nam illa sortitio, qua Cato quaestor P. Africano obtigit, facta est etiam tum anno 205/549, fortasse mense Januario, (neque enim obliviscendum est illis temporibus usque ad annum 154/600 novum annum incepisse Calendis Martiis, non Januariis) cum eo mense, quod ad temporis quidem spatium a. 222/532 — 154/600 attinet, consules et praetores eaque re acta magistratus minores designari solitos esse Mommsenius demonstraverit.[1]) Cicero quoque Catonem loquentem facit quaestorem factum se esse 205/549, sed gessisse magistratum 204/550. (de sen. 4, 10). Eo tempore autem P. Africanus consul, non pro consule fuit isque usque ad Idus Martias anni 204/550, nam eo die consules sequentis anni magistratum inierunt.[2]) Ergo Nepos non vituperandus sit. Quae cum ita sint, Nepotis verba „pro sortis necessitudine" non „gemäss des engen Amtsverhältnisses" vertenda esse putaverim, sed potius sic intellegenda esse „pro necessitudine, quam iis sors (Loos) tribuit", quae explicatio est Ciceronis ad. fam. II, 19, 1, ubi de sortitione C. Caelii Caldi, L. Mescinii Rufi successoris, loquitur, qui sibi quaestor obtigerit. Praeterea dubito, num sors apud Nepotem „Amt" intellegi possit, cum hoc loco excepto tantum cap. 2, 1 eiusdem vitae inveniatur, quibus duobus locis „Loos" vertenda est. — Cato igitur quaestor obtigit Scipioni, qui, postquam Idibus Martiis 205/549 consulatum iniit, viginti quinqueremibus decemque quadriremibus intra quadraginta quinque dies, cum plurimi Italiae socii adiuvissent, aedificatis et armatis in Siciliam provinciam ei nominatam cum septem fere milibus militum voluntariorum profectus (Liv. XXVIII, 38. 45. 46) totam hiemem ibi consumpserat in quinta et sexta Cannensibus legionibus, quae ei decretae erant, supplendis atque exercendo idoneis ad bellum gerendum faciendis.[3]) In Sicilia ad belli apparatus perficiendos usque ad aestatem a. 204/550 commoratus est, cum Pomponius Matho praetor, eius successor, cui Sicilia provincia in hunc annum decreta erat, ibi iam adesset (Liv. XXIX, 13 sq.). In Sicilia cum Cato Scipionis quaestor esset atque hic rixa inter eos de militum disciplina et de profusa luxuria exorta Catoni dixisset non opus sibi esse quaestore nimis parco, Catonem de provincia Romam decessisse ibique cum Fabio in senatu consulem in crimina vocasse Plutarchus narrat. At valde suspecta est haec res. Nam neque ceteri auctores neque Livius, qui copiosius et diligentius Plutarcho de iisdem refert, legatos Locrenses Romam venisse ibique in senatu Scipionem eiusque legatum Q. Pleminium accusasse eamque ad causam cognoscendam legatos a senatu missos esse, Catonem ipsum ut consulem suum accusaret Romam venisse usquam memorant. Praeterea haudquaquam id verisimile est, quippe cum quaestori, qui pietatis vinculo a consule sicut a patre familias filius teneretur,[4]) primum omnino consulem criminibus petere vix licuerit, deinde tanto minus id illi aetati conveniat, cum eo tempore aditus in senatum nulli magistratui nisi iam aedilitius esset patuerit.[5]) De Scipione autem nusquam nisi in senatu actum esse Livius expressis verbis contendit (XXIX, 22). Itaque Plutarchus falsum quiddam narrasse videtur et de hac et de illa re, quod Catonem in Africam non traiecisse vult. Nam illud apparere mihi videtur his verbis: Cat. mai.

[1]) Röm. Staatsr. I p. 478. 480. cf. Lange Röm. Alterth. I² p. 606 sq. 746 sq.
[2]) Mommsen Röm. Staatsr. I p. 493.
[3]) Liv. XXIX, 1 sq. Zonar. IX p. 437: *πάντα τὸν χειμῶνα ἐκεῖσε διήγαγε τοὺς σὺν αὐτῷ ἐξασκῶν καὶ ἄλλους προσκαταλέγων.*
[4]) Mommsen Röm. Gesch. I⁵, p. 550. Lange Röm. Alterth. I³, p. 746.
[5]) Mommsen R. Gesch. II⁵, p. 353.

3, 6: *„εἰπόντος δὲ τοῦ Σκιπίωνος ὡς οὐδὲν δέοιτο ταμίου λίαν ἀκριβοῦς πλησίστιος ἐπὶ τὸν πόλεμον φερόμενος, ἀπῆλθεν ὁ Κάτων ἐκ Σικελίας καὶ μετὰ τοῦ Φαβίου καταβοῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ κ. τ. λ.* et ib. 3, 8: *Ὁ μὲν οὖν Σκιπίων ... ἐξέπλευσεν ἐπὶ τὸν πόλεμον· τῷ δὲ Κάτωνι κ. τ. λ.* Contra his verbis ib. 3, 5: *„καὶ ταμίας αὐτῷ πρὸς τὸν ἐν Λιβύῃ πόλεμον συνεκπεμφθείς“* nihil nisi id explicatur Catonem quaestorem ad bellum Africanum destinatum in Siciliam missum esse.

Iam vero cum Scipio in Africam traiceret, C. Laelium praefectum classis et Catonem quaestorem navibus onerariis praesidio fuisse Livius (XXIX, 25) testatur. Scipioni enim etsi omni culpa minime vacavit, [1]) a senatu ut in Africam traiceret permissum erat. Quo tempore ea expeditio facta sit, accurate vix definiendum sit. Nam Livius tantum refert aestate eam factam esse et paulo postquam Pomponius Matho, Scipionis successor, cum imperio in provinciam profectus est. Attamen cum eo tempore provinciarum magistratus nondum certo die provincias obtinuisse Mommsenius [2]) demonstret, quando Matho a Scipione provinciam acceperit constituere non possumus. Catonem in Africa fuisse praeter Livium Cornelius Nepos testatur (Cat. 1, 4). Quantum temporis ibi manserit, nescimus. Sed per annum quaesturae manere debuit, quamquam Scipio in milites profusus et severissimus Cato multum moribus inter se differentes perpetua discordia vixisse dicuntur. Hoc quidem constat Catonem ex Africa redeuntem ad Sardiniam insulam appulsum esse eaque ex insula Ennium poetam Rudiis Calabriae in oppido natum [3]) Romam transtulisse. [4]) Postremo Catone quaestore sodalitates constitutas esse sacris Idaeis magnae matris acceptis cognoscimus e Cicerone (de sen. 13, 45. Liv. XXIX, 14.)

Anno 199/555 L. Cornelio L. F. L. N. Lentulo P. Villio Ti. F. Ti. N. Tappulo consulibus Cato aedilis plebis cum C. Helvio factus est ab iisque ludi plebeii instaurati sunt (Liv. XXXII, 7. Nepot. Cat. 1, 3). Quod Cato etiam tum aedilis praeturam sequentis anni iam petivit, illegitimum fuit, sed iis temporibus septies decies accidisse Mommsenius exemplis allatis demonstravit [5]). Praeterea de Catone aedile plebis his exceptis nihil scimus. Atque Plutarchus, qui omnium pleraque testimonia de Catonis vita attulit, ne verbo quidem memoravit hunc aedilem plebis fuisse.

Anno 198/556 T. Quinctio T. F. L. N. Flaminino Sex. Ailio Q. F. P. N. Paito Cato consulibus praetor Sardiniam [6]) provinciam sortitus (Liv. XXXII, 7. 8. Nepot. Cat. 1, 4. Plut. Cat. mai. 6, 2. lib. de vir. ill. 47, 1) cum duobus milibus peditum sociorum Latini nominis et ducentis equitibus recens scriptis in Siciliam profectus veteres pedites equitesque dimisit, quod ut faceret a senatu ei imperatum erat (Liv. XXXII, 8). [7]) Sanctus et innocens Cato provinciam obtinuit et cum in faenore coercendo asperrimus esset faeneratores ex insula fugavit. Sumptus quos in praetorum cultum socii facere soliti erant, circumcidit aut sustulit (Liv. XXXII, 27. Plut. l. l.). Ipse Cato in oratione

[1]) Mommsen R. G. I[5], p. 660. Lange Röm. Alterthümer II[2], p. 174 ibique conferantur loci laudati.

[2]) R. Staatsr. I, p. 500.

[3]) Cic. pro Archia 10, 22. de orat. III, 42, 168. Strabon. geogr. VI, 3. p. 281. Ennianae poesis reliquiae rec. J. Vahlen Lips. 1854. p. LXXIX. p. 66.

[4]) Nepot. Cat. 1, 4. Hieron. Eusebii chronic. ad Ol. 135, 2. Auctor de vir. illustr. 47, 1. falso narrat Catonem praetorem in Sardinia insula ab Ennio Graecis litteris institutum esse.

[5]) Röm. Staatsr. I. p. 434. 436 an. 2.

[6]) Peterus hist. R. rell. prol. p. CXXVII Siciliam falso nominat pro Sardinia.

[7]) Nescio cur Drumannus hist. Rom. I. I. scripserit Catonem militum 8200 exercitui praefuisse.

„de innocentia sua“ haec dixit: „quam plures ad praetores et consules vinum honorarium dabant; numquam accepi ne privatus quidem.“ (Jordan. Cat. orat. reliq. LVI p. 64.) atque similia in oratione „de sumptu suo“ (Jordan. ib. II p. 37). Singulas provinciae urbes sine iumentis adiit, cum unus servus publicus qui vestem et vasa publica portaret solus sequeretur (Plut. ib. 6, 2). Quae res mirae nobis non videbuntur, si meminerimus Catonem nimia parsimonia fuisse (Plut. ib. c. 4—5), cuius dictum a Plutarcho referatur: *„ὅλως δὲ μηδὲν εὔωνον εἶναι τῶν περιττῶν, ἀλλ' οὗ τις οὐ δεῖται, κἂν ἀσσαρίου πιπράσκηται, πολλοῦ νομίζειν·* (ib. 4, 5)[1]) et qui villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem praelitas fuisse usque ad annum aetatis suae septuagesimum dicat. (Gell. n. A. XIII, 24, 1. Hertz. cf. ad Marcum fil. libr. fr. 10. Jord. p. 79.). In praetura legem Porciam pro tergo civium Cato tulisse videtur [2]), qua plebis favorem captaret, cum eius auxilio viae ac rationi a Scipionibus novarum rerum studiosis in republica regenda initae repugnare conaretur. Haec enim lex sanxit, ne quis civem Romanum verberaret neve necaret, sed ut condemnatis exsilium permissum esset, qua re Cato plebi Romanae vehementer prospiciens homo popularis factus est [3]).

Haud scio an nonnulla verba, quae Jordanus (l. l. p. 74) in numero orationum incertarum posuit, ad huius legis suasionem pertineant. Verba sunt haec: „Jure, lege, libertate, republica communiter uti oportet; gloria atque honore, quomodo sibi quisque struxit“ (or. inc. 19).

Anno 195/559 L. Valerius Flaccus et M. Porcius Cato Idibus Martiis [4]) consulatum inierunt [5]). Cato cum homo novus esset (Cic. de rep. I. 1. 1. Verr. V, 70, 180. Liv. XXXIX, 41. Plut. Cat. mai. 1, 2. Vellei. II, 128, 2 (Haase).) praecipuo Valerii amici auxilio ad hunc honorem provectus est (Cic. de rep. I, 1. 1. Plut. ib. 1, 2. 3, 3—4). Cum in Hispania citeriore tantum glisceret bellum, ut consulari exercitu duceque opus esset, Cato hanc provinciam sortitus est [6]). cfr. Appian. Hisp. 39: *„μείζονος ἔτι τῆς κινήσεως γιγνομένης μετὰ πλέονος δυνάμεως ἐπέμφθη Κάτων“*. — Hispania enim 197/557 in duas provincias, citeriorem et ulteriorem divisa erat, quarum fines saltu Castulonensi et Orospeda monte destinabantur [7]), atque in eas duo praetores, ut provinciarum res constituerent atque ordinarent, C. Sempronius Tuditanus et M. Helvius missi erant [8]). Quo facto ingens Hispanorum seditio exorta nondum sedata erat. Cato priusquam ad hanc seditionem opprimendam in provinciam proficisceretur, legem Porciam de sumptu provinciali, qua sociorum sumptus in consulum praetorumve cultum faciendos coerceret, tulisse videtur [9]) et ver sacrum ab

[1]) Ipsa Catonis verba leguntur apud Senecam (epist. 94, 27): „Emas non quod opus est, sed quod necesse est; quod non opus est asse carum est.“

[2]) Festus p. 234. M. — Lange Röm. Alterth. II[2] p. 520. 610.

[3]) Cic. de rep. II, 31, 54. pro Rabir. 3, 8. 4, 12. Verr. V, 63, 163. (Sallust.) in Cic. declam. 3, 5. Baiter-Kayser XI p. 148. Lips. 1869. Sallust. Cat. 51, 22. 40. Liv. X, 9, Plin. nat. hist. VII, 43. Gell. n. A. X, 3, 13. Nonius p. 87, 15.

[4]) Mommsen R. Staatsr. 1, 492 sq.

[5]) Fast. capitolin. et Cassiodor. ad h. a. Cic. de sen. 6, 19. 10, 32. Brut. 15, 61. Nep. Cat. 2, 1. Liv. XXXIII, 42. Plut. l. l. 10, 1. cf. 3, 4. Tac. ann. IV, 56. Gell. n. A. XIII, 23, 1. de vir. ill. 47, 2. Oros. IV, 20. Zonar. IX, 19 p. 252 (ed. Pinderi).

[6]) Cic. in Caecil. divin. 20, 66. Liv. XXXIII, 19, 21. 25. 43. XXXIV, 8. 10. Plut. l. l. 10, 1. Zonar. IX. 17: *τὴν Ἰβηρίαν μίκρον πᾶσαν ἀλλοτριωθεῖσαν.*

[7]) De ea re conferatur Ungerus l. l. p. 65. **Iberus** nunquam finis earum fuit provinciarum. cf. Hübner Hermes I. p. 106. — Marquardt Röm. Staatsverwaltung. I.p. 1873. B. I. p. 101.

[8]) Wilsdorf Fast. Hispan. provinc. p. 138 (Leipzig. Studien I, 1, p. 63 sq. 1878).

[9]) Lex Antonia de Term. II, 16. Mommsen Corp. I. L. vol. I p. 114. nr. 204. Liv. XXXII, 27. XXXIV, 4.

A. Cornelio Mammula praetore votum cum collega ex pontificum decreto fecit (Liv. XXXIII, 44. XXXIV, 44.) et ne lex Oppia 215/539 in mulierum luxuriam lata abrogaretur, frustra dissuasit.[1]) Cuius dissuasionis orationis nullum fragmentum a Jordano nominatim affertur, sed verisimillimum est ex ea sumptum esse id dictum, quod Plutarchus nobis servavit: *„πάντες ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δὲ αἱ γυναῖκες“* (8, 2)[2]). et ea Plutarchi 8, 1: *„κατηγορῶν δὲ τῆς πολυτελείας ἔφη χαλεπὸν εἶναι σωθῆναι πόλιν ἐν ᾗ πωλεῖται πλείονος ἰχθὺς ἢ βοῦς“* et Polybii XXXI, 24 p. 337 Tauchn.: *„Κάτων ἐδυσχέραινε καὶ ἐκεκράγει, ὅτι τινὲς τὰς ξενικὰς τρυφὰς εἰσήγαγον εἰς τὴν Ῥώμην· τριακοσίων μὲν δραχμῶν κεράμων ταρίχων Ποντικῶν ὠνησάμενοι, μειράκια δ' εὔμορφα ὑπερβαλλούσης ἀγορῶν τιμῆς“* et Zonarae IX, 17: *„Κοσμεῖσθωσαν οὖν αἱ γυναῖκες, μήτε χρυσῷ μήτε λίθοις ἢ τισιν ἀνθηροῖς καὶ ἀμοργίνοις ἐσθήμασιν, ἀλλὰ σωφροσύνῃ, φιλανδρίᾳ, φιλοτεκνίᾳ, πειθοῖ, μετριότητι, τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις, τοῖς ὅπλοις τοῖς ἡμετέροις, ταῖς νίκαις, τοῖς τροπαίοις.“*[3]). Lege Oppia abrogata postquam exercitum atque naves neque minus magnum commeatum quam maturissime comparavit (Caton. orat. de consulatu I, 6. Jordan. Liv. XXXIV. 8), quamvis omnia ab integro paranda essent (Jordan or. I, 7), statim cum viginti quinque navibus longis atque cum duabus legionibus, quindecim milibus peditum sociorum Latini nominis, octingentis equitibus (Liv. XXXIII. 43. XXXIV, 8) a Lunae oppidi portu profectus est. Postquam Ligustinos montes et Massiliam praeterierunt, ad Illiberim et Ruscinonem, oppida in Pyrenaeorum radicibus sita, pervenerunt.[4]) Ibi unum diem commorati et nocte altera Pyrenaeum promunturium, quo proicit in altum, (Jordan or. I, 8. 9.) praetervecti Rhodam, ubi Hispanorum quod in castello erat praesidium vi deiecerunt, deinde Emporias secundo vento appulerunt. (Liv. l. l. Appian. Hisp. 40). De tempore, quo id factum sit, nihil accuratius ab auctoribus refertur, nisi quod unus Livius scribit id forte tempus anni fuisse, quo Hispani frumentum in areis haberent. Nonnulli viri docti, ex iis Ungerus l. l. quoque huius temporis definiti non satis rationem habuisse videntur, etsi ea definitio ad tempus constituendum plurimum valere mihi videtur. Nam his verbis apparet Hispanos frumenta demessa in areis, quae in campo aperto creta cylindris compressae erant, stravisse, ut torrerentur atque deinde detererentur. Quae plerumque fieri solebant extremo mense Quinctili. (Varro de reb. rust. I, 32 (Script. rei rust. cur. Gesnero.): „inter solstitium et caniculam.“ Verg. Georg. I, 178. 297. 312. Hesiod. *ἔργ. κ. ἡμ.* vers. 414 sq.) Itaque hoc mense Catonem Emporias pervenisse censeo. Neque fieri potuit, ut priore tempore in provinciam perveniret, cum consulatu Idibus Martiis inito supra viginti quinque milia militum (Unger l. l. p. 67 et Liv. XXXIII, 43) conscribenda, viginti quinque naves longae comparandae[5]) eaque omnia ab integro paranda essent (Jord. or. I, 7), lex Porcia ferenda, ver

[1]) Liv. XXXIV. 1, 8. Hoc tantum loco illam legem affert quam XXIII, 32 et XXIV, 49 afferre oblitus esse videtur; nam XXVI, 36 alia lex agitur. Val. Max. IX, 1, 3. Tac. ann. III, 34. Oros. IV. 20. Zonar. IX, 17.

[2]) Iam Lachmannus (de fontibus histor. T. Livii. Gott. 1821. comment. II p. 18) haec verba attulit. Cum his verbis conferantur Liv. XXXIV. 3 § 1—2. et perioch.

[3]) Bolhuis diatribe lit. in M. P. Cat. scripta et fragm. Trai. ad Rh. 1826 p. 156. — Meyer-Dübner Orator. Rom. fragmenta. Paris. 1837. p. 119.

[4]) Liv. l. l. Illiberis oppidum in meridiem spectat. Polyb. XXXIV, 10, 1. Strab. IV, 1, pag. 182. Liv. XXI, 24. Neque ex ea re, quod Cato (orat. I, 8). Ruscionem oppidum postremum affert, concludamus licet, eum putasse illud oppidum a meridie situm esse.

[5]) Ut exemplum afferam, Scipioni, ut anno 205/549 triginta naves longas aedificaret, quadraginta quinque diebus opus erat (Liv. XXVIII, 45, 46).

sacrum faciendum, legis Oppiae abrogatio dissuadenda, iter maritimum perficiendum esset. Ungerus quoque l. l. p. 62 an. 2 Catonem in his rebus perficiendis tres menses consumpsisse vult. Praeterea homines iam miratos esse, quod consul diutius in urbe commoratus bellum Hispaniense neglegeret, Livius annotat XXXIII, 44. — Consulem igitur appulsum Emporitani comiter ac benigne acceperunt. (Jord. or. I, 10: „mihi atque classi obviam fiunt“.[1]) Liv. ib. 9.). Paucos dies ibi moratus redemptores frumentum parare vetuit Romamque dimisit, cum diceret: „bellum se ipsum alet“ (Liv. ib.). Ab Emporiis profectus agros hostium ussit et vastavit. Attamen cum novos milites belli nondum peritos haberet, hostes statim adoriri non ausus est (Jord. or. I, 13. Liv. ib. 13.). Iam cum castra haud procul ab Emporiis haberet, legati tres a Bilistage, Ilergetum regulo, auxilium socii Romani petituri venerunt, cum quererentur castella sua oppugnari neque spem esse resistendi, nisi consul tria milia militum auxilio mitteret. Sed Cato cum exercitum imminuere nollet, tertia militum parte in naves imposita Ilergetibus auxilio se venturum esse simulavit, ut ea re socios spe afficeret, hostes autem terreret. Ad ceteros socios ut in fide retineret alio legatos, alio litteras, alio praesidium, alio frumentum usquequaque misit[2]). Et novos milites ut ad bellum aptos efficeret, exercitationibus fatigavit atque levibus proeliis expeditionibusque fortes reddidit. (Jord. or. I, 13. cf. Appian. l. l. *ὁ δ' ἐπὶ μέν τι τὴν στρατιὰν ἐγύμναζεν.*) Ante hiemem autem anni 195/559 illam pugnam adversus Hispanos commissam non esse apparet ex ipsius Catonis verbis (Jord. l. l.): „Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem temptabam, quid facere possent; proeliis levibus spectabam, cuiusmodi quisque esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem vellent facere, atque in contione verbis multis laudabam. interim aliquot pauca castra feci. sed ubi anni tempus venit, castra hiberna“ . . . . Hic verba a Frontone ad Verum imp. ep. 1 p. 134 ed. Rom. servata interrumpuntur, sed secundum Livium cetera sic supplenda sunt (cap. 13): „cum iam id tempus anni appeteret, quo res geri possent, castra hiberna tria milia passuum ab Emporiis protulit.“[3]) Hiberna Cato apud Emporias egit. (Jord. or. I, 13). Proximo autem vere (= cum iam id tempus anni appeteret, quo res geri possent) castra hiberna tria milia passuum ab Emporiis movit. Inde per occasiones modico praesidio in castris relicto modo huc modo illuc milites praedatum in hostium agros educebat itaque „praedonum magis quam bellantium more,“ ut Catonem loquentem Livius facit (c. 13), bellum gerebatur. Postremo suorum et hostium animos satis expertus pugna decertare Cato constituit. (Appianus l. l. refert Catonem ante pugnam initam classem Massiliam remisisse, ut milites terrore ac desperatione impletos fortiores redderet). Media quadam nocte profectus postquam auspicatus est, exercitum praeter castra Hispanorum circumduxit et prima luce acie instructa tres cohortes sub ipsum Hispanorum castrorum vallum misit. (Jord. or. I, 15. Liv. c. 14). Cum hae cohortes fuga simulata hostes e castris elicuissent hostesque in acie sub castris instruenda trepidarent, Cato incompositos aggressus est. Ab utroque cornu equites in pugnam induxit, sed in dextro statim pulsi pediti mediam aciem tenenti terrorem impulerunt. Haec ubi Cato

[1]) Haec verba nonnisi ad Emporitanos pertinere possunt, cum hostes, quibuscum Cato conflixit, nunquam prope ad classem venirent atque proelium procul a classe commissum esse Livius testetur (ib. 16). Jordanum quoque id fragmentum huc rettulisse postea inveni (prol. p. LXVI).

[2]) Jord. Cat. or. I, 21. Hoc fragmentum ad bellum Hispaniense spectare atque a Jordano falso positum esse (cf. prol. eius p. LXVI) verisimillimum est. Nam potius post fragm. 14 scribendum est.

[3]) Nam „protulit“ pro textus lectione „posuit“ scribendum ese conicio, cum nullo alio modo ex difficultatem interpretandi angustiis liberemur.

vidit, duas cohortes delectas ab dextro hostium latere circumduci et a tergo se ostendere iussit (Jord. or. I, 16). Diu pugna anceps erat. cf. Appian. l. l. *ἀκριτον δ'αὐτῆς* (scil. *τῆς μάχης) ἐς δείλην ἑσπέραν ἔτι οὔσης κ. τ. λ.* Nam etsi hostium dextrum cornu et media acies a Romanorum fronte atque ab cohortibus delectis a tergo urgebantur, tamen sinistrum hostium cornu Romanus miles vix sustinebat. (Apud Appianum m e d i a Romanorum acies urgetur.) Hoc tempore Cato cum subsidiariis cohortibus (Appianus accuratius definit: *μετὰ τριῶν τάξεων.)* e secunda acie adductis primae auxilio venit et integris copiis hostes defessos adortus acri impetu perculit atque dissipavit. Tum castra, in quae hostes fugerant, secundam legionem, quae in subsidio posita erat, oppugnare iussit. Hostes autem fortiter pugnantes Romanos a vallo summovebant,[1]) donec recens Romanorum legio admoveretur atque consul cum secundae legionis principibus hastatisque sinistra porta in castra irrumperet. Quo facto hostes caesi et castra direpta sunt. Haec fuit nobilis Catonis victoria. Cum duabus legionibus et quindecim milibus et octingentis sociorum magnas hostium copias, quae Appiano teste Hisp. c. 40. „*ἐς τετρακισμυρίους*" fuerunt, fugaverat atque deleverat.[2]) Quot hostes aut Romani ceciderint et qui fuerint hostes a Livio non cognoscimus, nam iis Livii verbis (c. 16) „quae res non minus quam pugna pridie adversa Emporitanos Hispanos in deditionem compulit" de hostium nominibus certiores nequaquam facti sumus. Livium autem nomina propterea omisisse videtur, quia apud Catonem, quem hoc loco auctorem eum secutum esse Jordanus l. l. prol. LXVI sq. Nissenius Krit. Unt. p, 154 sq. Peterus hist. R. rell. p. CLIV sq. Ungerus l. l. p. 66 sq. inter se consentiunt, neque numerum neque nomina hostium invenit. (Liv. c. 15. Plin. nat. hist. VIII, 5, 11). Locum autem, quo haec pugna commissa est, non procul ab Emporiis afuisse manifestum est, cum Catonis castra tria milia passuum ab Emporiis abesset atque Cato, priusquam ad hostes venisset, a media nocte usque ad primam lucem iter faceret (Liv. c. 13. 14).

Hac pugna tota hostium regio accolaeque eorum in populi Romani potestatem redacti sunt; (Liv. c. 16.) Confestim inde Cato castra movit et quacunque agmen incedebat legati hostium civitates suas dedentium occurrebant et cum Tarraconem veniret, iam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat. Bergistanorum civitatis septem castella cum defecissent Cato exercitu in hanc regionem deducto sine memorabili proelio in ditionem redegit. (Liv. c. 16). Iidem consule Tarraconem regresso iterum defecerunt atque iterum subacti sunt, quo facto omnes sub corona venierunt. Tum omnibus cis Hiberum Hispanis arma ademit atque oppidorum omnium moenia uno atque eodem die eos diruere iussit (Liv. c. 17. Appian. H. 41)[3]) Omnes Hispani paruerunt praeter Segesticam urbem[4]), quam vineis ac pluteis cepit. Deinde Cato P. Manlii praetoris, qui Catonis consulis in Hispania citeriore legatus erat, litteris auxilio arcessitus in Turdetaniam legiones duxit (Jord. or. I, fr. 18. 19), [5])

[1]) Ad hanc rem Catonis fragmentum spectare videtur hoce: „Iam apud vallum nostri satis agebant" (Jord. or. 1, 17).

[2]) Tota haec pugna perspicue, etsi nonnulli viri docti contrarium contenderunt, a Livio describitur et quales acies fuerint, demonstratur uno conspectu tabula, quam pro virili parte fine huius dissertationis depinxi.

[3]) Plutarchus Cat. 10, 3 cum Polybium *ἐντὸς Βαίτιος* scripsisse dicat, errasse videtur, cum Appianum, Polybii pedisequum, *περὶ Ἴβηρα* praebere inveniamus atque urbes trans Iberum, sicut Celtiberorum Seguntia urbs, (Liv. c. 19) etiamtum posteriore tempore moenibus munitae sint.

[4]) Apud Forbigerum (Handb. der alten Geographie vol. III.) non invenitur.

[5]) Ungerus l. l. p. 65 an. 1. recte indicasse videtur hos Turdetanos non illos in Baetica, sed populum haud procul a Sagunto habitantem fuisse. Fortasse in ea regione Turdulorum sedes erant, nam eos a septentrione Turdetanorum fuisse Polybius voluit, qui Turdetanos et Turdulos discerneret (Strabo III p. 139). Livius autem modo Turdetanos modo Turdulos sine discrimine vocat.

ubi Celtiberi cum Turdetanis Manlium oppugnabant, et frustra Celtiberos a foedere cum Turdetanis icto secernere tentavit cum trium condicionum electionem iis ferret, primam ad Romanos transeuntibus duplex stipendium se daturum, alteram domos ipsos abeuntes innoxios futuros, tertiam, ut secum armis decernerent. Qui cum hostes ad pugnam e munimentis elicere non posset, agros praedatus ad Seguntiam oppugnandam perrexit. [1]) Sed cum hostes nulla re moverentur, Cato omni exercitu in castris praetoriis relicto [2]) cum septem cohortibus ad Iberum regressus est (Liv. c. 19). [3]) Quo in itinere ad consulem defecerunt Sedetani, Ausetani, Suessetani, quorum auxilio Lacetanorum oppidum expugnavit. [4])

Haec Livium Catonis que fragmenta secutus de bello Hispaniensi narrandum mihi esse censui. Livium autem in Bergistanis subigendis res confudisse apparet, nam cum c. 16 iam omnes Bergistani a Catone sub corona venissent, c. 21 de altera eorum venditione Livius narrare non debuit. Nissenius quoque p. 157 Livium eandem rem bis rettulisse contendit. Itaque narrationem de altera Bergistanorum venditione omisi. E Plutarcho praeterea cognoscimus Catonem in Hispania quadringentas „*πόλεις*" (vel potius castella) cepisse (Cat. 10, 3). Sin autem Plutarchus narrat „*Σκιπίωνα τὸν μέγαν*" Catonis successorem factum in Hispaniam pervenisse Catonisque imperium finivisse, id prorsus falsum est. Nam P. Cornelius Cn. f. Scipio Nasica propraetor Hispaniae ulterioris factus est (Liv. XXXIV, 42. 43), cum Scipio Africanus, qui consul in Macedoniam, non in Hispaniam cum imperio mitti vellet neque a senatu mitteretur, in Italia maneret. (Liv. XXXIV, 43. cf. 48). [5])

His omnibus, quae narrata sunt, perspicuum fit Catonem magnum imperatorem fuisse nec consentire possum cum Drumanno (Gesch. Roms t. V p. 146), qui non aeque iudicasse de Catone videtur, cum dicat: „Als Heerführer bewährte Cato sich weniger als er rühmte . . . . jedoch da er über die Kriegskunst schrieb, so bestimmte dies auch das Urtheil über die Leistungen vor dem Feinde." Contra Nitzschius [6]) recte iudicat: „Cato zeigte in seiner Provinz Hispanien, dann als Legat des Acilius für Krieg und Verwaltung bedeutendes Talent." neque aliter Mommsenius (R. G. I[5] p. 826): „als Soldat, als Stabsoffizier und als Feldherr hatte er sich gleich tüchtig bewährt." Equidem satis habeo de ea re hos locos afferre: Cic. de orat. III, 33, 135: „idem facile optumus imperator etc." — Nepot. Cat. 3, 1: magnus imperator. Liv. XXXXII, 34: neminem omnium imperatorum, qui vivant, acriorem virtutis spectatorem ac iudicem fuisse sciunt qui illum et alios duces longa militia experti sunt" et XXXIX, 40: in bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis, ... summus imperator. — Plin. nat. hist. VII, 7, 100: optumus imperator. alibique.

Neque modo in bellis gerendis, sed etiam in provincia administranda Cato strenuum

[1]) Hoc oppidum Celtiberorum esse debet, non illa *Σαγουντία* in Baetica sita.

[2]) Imperio eius finito provincia decedere debuit atque eam ob rem militibus stipendium solvit. cf. Unger l. l. p. 71. aliter Nissen l. l. p. 156. 195.

[3]) cf. Plut. l. l. 11, 1: *ὁ δὲ λαβὼν σπείρας ὁπλιτῶν πέντε καὶ πεντακοσίους ἱππεῖς προπομποὺς κατεστρέψατο μὲν τὸ Δακεταινῶν ἔθνος.*

[4]) Eius oppidi nomen Livius non affert, forsitan fuerit Barcino (Barcelona.) Ptolem. II, 6, 18, Mela. II, 6, 5 Plin. nat. hist. III, 1, 4. Itin. Ant. p. 390. 398. Oros. VII, 143. Strabo III p. 159 scribit *Δειτανοί.*

[5]) Langeus Röm. Alterth. II[2] p. 199 falso scribit Scipionem Catoni in Hispania succedere voluisse.

[6]) Nitzsch Polybius Kiel 1842. p. 47.

idoneumque se praestitit. Nam in pecuniis publicis integer, cum neque amicos divites redderet neque suam rem augere studeret, qui de se confiteretur: „*εἰς αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων* (ex praeda bello Hispaniensi parta) *οὐδὲν ἐλθεῖν πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε.*“ (Plut. Cat. 10, 4). Socios nimiis sumptibus premere noluit atque adeo eam ob rem quinque solos servos in Hispaniam duxit. (Jord. or. II. III. Plut. l. l. 10, 5). Disciplinam militarem ad priscos mores redegit et equitum dissolutam disciplinam oratione, quam apud eos ad Numantiam habuit (Jord. Cat. or. V), castigavit, ex qua Gellius pulcherrima illa verba (XVI, 1, 4) servavit: „Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet, bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet; sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.“ Forsitan ad orationem hoc bello apud milites simili occasione habitam spectent verba Plutarchi 9, 4: *στρατιώτου δὲ μὴ δεῖσθαι τὰς μὲν χεῖρας ἐν τῷ βαδίζειν, τοὺς δὲ πόδας ἐν τῷ μάχεσθαι κινοῦντος, μεῖζον δὲ ῥέγχοντος ἢ ἀλαλάζοντος.* — Ex argentariis ferrariisque magna vectigalia reipublicae instituit (Liv. XXXIV, 21. Jord. Cat. Origin. lib. VII fr. 5). Priusquam provincia decederet, militibus viritim *λίτραν ἀργυρίου* donavit, cum diceret: *ὡς κρεῖττον εἴη πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον ἢ χρυσίον ὀλίγους ἔχοντας ἐπανελθεῖν.* — Hispaniam cis Iberum a Catone prorsus pacatam esse Livius testatur XXXIV, 21: Pacata provincia. ib. 43: quoniam in Hispania et Macedonia debellatum foret. ib. eum exercitum dimitti, qui cum Catone in Hispania esset. Appian. H. 41: *καὶ Ῥωμαίοις ἐς τὸ μέλλον εὐέφοδοι γενόμεναι* (scil. *αἱ πόλεις αἱ περὶ Ἶβηρα ποταμόν*) *διένειμαν ἐς πλεῖστον ἐπὶ εἰρήνης.* Quo tempore Cato provincia decesserit, diligentius definiri non potest, sed diu supra consulatus sui annum in provincia mansisse videtur, cum Scipione iam consule Lacetanos demum debellaret (Nep. Cat. 2, 2. Plut. l. l. 11, 1). Ex Hispania Romam redux triumphavit, qua occasione militibus e praeda divisit in singulos ducenos septuagenos aeris, triplex equiti (Liv. XXXIV, 46. perioch. Cat. or. IV. Jord.). Triumpho autem peracto orationem „de triumpho“, qua res a se gestas exponeret, apud populum habuit. (Jord. or. Cat. IV. ib. proleg. p. LXIX).[1])

Catonem loco legati consularis Ti. Sempronium consulem circum Istrum bellantem adiuvisse a solo Plutarcho comperimus (Cat. 12, 1).[2]) Illum Sempronium eundem esse atque Ti. Sempronium Ti. f. Cn. n. Longum anni 194/560 consulem, qui in Boiorum agrum profectus adversus eos pugnavit (Liv. XXXIV, 42. 46 sq.) perspicuum est. Itaque nulla est causa, cur dubitemus, quin Cato in hoc contra Boios gesto bello Sempronii legatus fuerit, velut anno sequente idem Sempronius L. Cornelii Merulae consulis qui Boios vicit legatus consularis fuit (Liv XXXV, 5). Haud scio an ad hoc tempus, quo Cato legati munere functus est, illa verba ipsius Catonis pertineant: „Cum essem in provincia legatus“ (Jord. Cat. or. LVI.). Quod Plutarchus scribit „*Σεμπρωνίῳ τὰ περὶ Θρᾴκην καὶ Ἴστρον ὑπατεύοντι*“ errore ab eo insertum esse videtur, cum nesciret, ubinam Boiorum sedes essent.

Anno 191/563 M'. Acilio C. F. L. N. Glabrione, P. Cornelio Cn. F. L. N. Scipione Nasica consulibus Acilium consulem ad bellum Antiochinum proficiscentem Cato tribunus militaris secutus

[1]) Prorsus falsus est Drumannus l. l. p. 106 de hac re neque minus Pauly (Realencycl. t. V. p. 1905).

[2]) Mommsenius (R. G. I[5] p. 824) non recte contendit Catonem in Ti. Sempronii exercitu tribunum militum fuisse: nam nusquam eius rei testimonium exstat.

est. Tribunum militum eum fuisse volunt Cicero (de sen. 10, 32), Plutarchus (Cat. mai. 12, 1. comp. Arist. 2, 2), Appianus (Syriac. c. 18), Frontinus (II, 2, 4), auctor de vir. illustr. 47,3; contra Livius XXXVI, 17 eum vocat legatum. Sed Ciceroni et Plutarcho, cuius de Catonis rebus bello gestis capita 10—14 e Catonis Originibus sumpta esse supra demonstravi, maior fides habenda est quam Livio. Haudquaquam autem in ea re offendere debemus, quod Cato iam semel antea tribunatu functus est, nam eo tempore non raro bis atque adeo ter id factum esse Mommsenius nos docet. (Röm. Staatsr. I p. 447. an. 1.). Causa, cur tribunus militum huic bello interfuerit, ea mihi esse videtur, quod cum imperio Romano magnum periculum immineret,[1]) patriae defendendae deesse noluit. Neque consentire possum cum Mommsenio (Röm. Gesch. I[5] p. 824), qui dicit: „Es war eine Demonstration gegen die neumodische Hoffahrt, dass der Consular Cato unter Manius Glabrio als Kriegstribun Dienste nahm.“ — In pugna ad Thermopylas cum consul Antiochum regem a fronte adoreretur, Cato Callidromum iugum ab Aetolis sexcentis insessum noctu occupavit atque deinde a tergo in hostes irrumpens maximam victoriae partem reportavit. (Liv. ib. 17 sq. Plut. ib. 13 sq. comp. Arist. 2, 2. 3: *ἐκείνη γὰρ ἡ νίκη περιφανῶς ἔργον οὖσα Κάτωνος ἐξήλασε τῆς Ἑλλάδος τὴν Ἀσίαν καὶ παρέσχεν ἐπιβατὴν αὖθις Σκιπίωνι.* — Appian. Syr. 19. Catonem post pugnam consulem amplexum exclamasse Plutarchus testatur (14, 3): *ὡς οὔτ' ἂν αὐτὸς οὔθ' ὁ σύμπας δῆμος ἐξισώσειε τὰς ἀμοιβὰς ταῖς Κάτωνος εὐεργεσίαις.*

Catonis illa per Callidromum circumitio copiose a Plutarcho l. l. c. 13—14 narratur neque eam hic denuo referre mihi in animo est. Ad hanc pugnam ad Thermopylas pertinere videntur illa fragmenta 23—26 orationis Catonis de consulatu suo (Jord. or. I): Eam ego viam pedetemptim temptabam (Charis. II p. 214 Keil). — Recto fronte ceteros sequi si norit (Festus p. 286 M.). — Item uti ab Thermopuleis etc. (Charis. II p. 205 Keil). — Victoriae nuntius Cato a consule extemplo post pugnam secundum Plutarchum, Livio vero teste omnibus in Euboea pacatis Romam missus ab emporio Creusa Patras, ad Corcyram Hydruntumque[2]) traiecit. Inde pedestri itinere per Tarentum Romam quinto die pervenit (Liv. XXXVI, 21. Plut. l. l. 14, 4.) Jordanus prol. p. LXXI recte censuit verba Catonis in M.' Acilium Glabrionem orationis (or. XIII): „Postquam navitas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis piscatores penatores feci, sed arma dedi“ spectare ad Liv. XXXVI, 14, ubi M'. Acilius consul copias in Graeciam traiectas Larisam ducere tribunos militum iubet. Iam ante pugnam Acilium legatos in urbes Graecas misisse, ut socios in fide retinerent, in eorumque numero Catonem, qui Patrenses, Aegienses, Corinthios Atheniensesque in Romanorum partem traheret, Plutarchus l. l. 12, 3 narrat. Catonem cum Athenis commoraretur, ibi orationem „apud Athenienses“ (Jord. or. VII) habuisse consentaneum est. Livius XXXV, 23. 31 non Acilium, sed senatum iam anno superiore legatos, quorum nomina, illo Catonis omisso, affert, in Graeciam ad sociorum animos tenendos dimisisse contendit.

Anno sequente quoque Catonem bello a L. Scipione consule contra Antiochum in Asia continuato interfuisse apparet ex ipsius Catonis verbis (Jord. or. I, 26): „Item uti ab Thermopuleis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disieci atque consedavi.“ et e Ciceronis pro

[1]) Liv. XXXV, 23: Ceterum eo tempore minus ea bella, quae gerebantur, curae patribus erant quam exspectatio nondum coepti cum Antiocho belli. 41: in dies magis fama de Antiochi bello et cura patribus crescebat. cf. XXXIII, 44. XXXVI, 3. — Plut. Cat. mai. 12, 1: *ἐπ' Ἀντίοχον τὸν μέγαν . . . φοβήσαντα Ῥωμαίους ὡς οὐδένα ἕτερον μετ' Ἀννίβαν. κ. τ. λ.* — Appian. Syr. c. 15. — Flor. epit. I, 24, 2: non aliud formidolosius fama bellum fuit. ib. 3 (ed. Halm).

[2]) Plutarchus Cat. mai. 24, 4 scribit *Βρεντέσιον* pro Hydrunto.

Murena 14, 32 verbis. Attamen cum in illo bello nihil memoratu dignum perfecisse existimandus sit, Livius ceterique auctores eam rem memoriae non prodiderunt. Quod eo facilius fieri potuit, praesertim cum in pugna etiam Thermopylensi Catonis res praeclare gestas breviter tantum attingeret. Jordanus prol. p. LXVII dubitat, num „tumultus ex Asia“ Latine dici possit bellum a rege Antiocho ex Asia motum. At si „tumultus ab Thermopuleis“ per se intelleguntur, nulla est causa cur non dicantur „tumultus ex Asia“. Mihi quidem maximi ab Thermopuleis atque ex Asia tumultus intellegendi esse videntur bella repentina et gravia ab Th. atque ex Asia imperio Romano imminentia. Neque in hac re inest ulla difficultas. Nam perfacile fieri potuit, ut Cato postquam victoriae nuntius e Graecia Romam revertit, cum Scipionis exercitu denuo in Graeciam atque inde in Asiam traiceret. Quod ad temporis spatium attinet, nihil impedit. Hoc mihi magis consentaneum esse videtur quam Ciceroni ex arbitrio errorem imputare, quod Jordanus facit, quippe cum non necesse sit, nos illud facere.

Anno 189/565 Catonem cum quinque competitoribus censuram postquam petivit, repulsam tulisse Livius nos docet XXXVII, 57. 58. Cum M.' Acilio Glabrioni censurae competitori, in quem populi favor se inclinabat, duo tribuni plebis diem dixissent, Cato in eum testis exstitit et quattuor orationes in eum habuit. (Iord. Cat. or. XIII. prol. p. LXXV). Qua re commotus Acilius petitione destitit. Censores T. Quinctius Flamininus et M. Claudius Marcellus creati sunt (Liv. XXXVII, 58). — Catonem hoc anno legatum consularem M. Fulvii Nobilioris in bello Ambraciensi 189/565 fuisse, quod Langeus Röm. Alt. II[2] p. 222 vult, e verbis Catonis (Jord. or. XI): „M. Fulvio consuli legatus sum in Aetoliam, propterea quod ex Aetolia conplures venerant, Aetolos pacem velle.“ apparere mihi minime videtur. Sed potius sic intellegenda esse censeo, Catonem non Fulvii legatum consularem fuisse, sed a senatu legatum extra ordinem missum esse in Aetoliam, ut de pace cum Aetolis conficienda Fulviique rebus gestis ac belli statu certior fieret eoque facto pacem conciliaret.

Anno 184/570 P. Claudio Ap. F. P. N. Pulchero L. Porcio L. F. M. N. Licino, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato censores facti sunt, [1]) etsi Scipionum factio ne id fieret omnibus viribus prohibere studuit. Petiverant enim censuram praeter hos duos P. et L. Scipiones Cn. Manlius Vulso L. Furius Purpureo patricii, plebeii autem M. Fulvius Nobilior Ti. et M. Sempronii Longus et Tuditanus (Liv. XXXIX, 40) atque hi septem candidati coierant omnes ad Catonem honore deiciendum, non modo ut eo amoto potius adipiscerentur, sed etiam, quia censuram eius severam periculosamque multorum famae futuram esse suspicabantur. (Liv. ib. 41. Plut. Cat. mai. 16, 3. 4. comp. Arist. 2, 1.) Nihilominus etsi Cato censuram magis poscebat quam petebat, cum eos qui liberam et fortem censuram timerent sibi refragari criminaretur et malis civibus minitaretur exclamaretque *μεγάλου καθαρμοῦ χρῄζειν τὴν πόλιν*, tamen *ὁ Ῥωμαίων δῆμος μέγας καὶ μεγάλων ἄξιος δημαγωγῶν ὤν* ceteris competitoribus reiectis eum censorem creavit atque collegam ei adiecit L. Valerium Flaccum, cum quo uno nova flagitia castigare et revocare se posse priscos mores Cato magna voce nuntiaverat (Liv. ib. Plut. l. l. 16, 5 sq.). Prima res, quae Catoni cen-

[1]) Fast. capitol. ad h. a. Cic. Brut. 15, 60. de sen. 6, 19. de orat. II, 64, 260. Nep. Cat. 2, 3. Liv. XXXIX, 41. Plut. Cat. mai. 16. de vir. ill. 47, 4.

sori efficienda erat, ea fuit, ut Scipionis Africani modo ante 185/569 mortui [1]) loco legeret principem senatus, qui tribus prioribus lustris Africanus fuerat (Liv. XXXVIII, 18. XXXIX, 52). Cato autem ipsum censurae collegam Valerium Flaccum senatus principem fecit.[2]) Deinde censores in senatu legendo septem senatores senatu moverunt (Liv. ib. 42. Plut. Cat. 17, 1), in his L. Quinctium Flamininum, fratrem T. Flaminini, qui Macedones ad Cynoscephalas 197/557 fugaverat, hominem consularem (consul fuit 192/562).[3]) Causa autem movendi haec fuit, quam secundum ipsius Catonis orationem sic nobis refert Livius (c. 42): „Philippum Poenum, carum ac nobile scortum [4]) ab Roma in Galliam provinciam, quam L. Flamininus consul forte administrabat, spe ingentium donorum ab illo perductum. Eum puerum per lasciviam cum cavillaretur, exprobare consuli persaepe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorium abductus ab Roma esset, ut obsequium amatori iactaret. Forte epulantibus iis, cum iam vino incaluissent, nuntiatum in convivio esse nobilem Boium cum liberis transfugam venisse; convenire consulem velle, ut ab eo praesens fidem acciperet. Introductum in tabernaculum per interpretem adloqui consulem coepisse, inter cuius sermonem Quinctius scorto „vis tu“ inquit „quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, iam hunc Gallum morientem videre? et cum is vixdum serio adnuisset, ad nutum scorti consulem stricto gladio, qui super caput pendebat, loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti fidemque populi Romani imploranti latus transfodisse.“ Haec quidem Livii narratio fide dignior aliis est; alios enim alia narrasse atque de eorum discrepantiis iam supra disserui p. 12 sq. L. Furium Purpureonem, censurae competitorem, cum aquam publicam contra legem in privatum aedificium derivasset[5]), Claudium quendam Neronem[6]) ob dissolutos mores (Jord. Cat. or. XX. prol. p. LXXXI). Manilium consulatum petiturum, quod uxorem interdiu filia inspectante exosculatus esset, censores senatu moverunt. (Plut. Cat. 17, 7). In equitatu recensendo summa severitate usi sunt. Equos publicos ademerunt L. Scipioni Asiageni, *θριαμβικῷ ἀνδρὶ* (Plut. l. l. 18, 1), qui fratris auxilio Antiochum apud Magnesiam ad Sipylum 190/564 vicerat (Liv. ib. c. 44. Plut. l. l. 18, 1. de vir. ill. 53, 3: ignominiae causa), et L. Veturio ob sacrificium commissum[7]) (Jord. Cat. or. XVIII:

[1]) Cic. de sen. 6, 19. Liv. XXXIX, 52. Plut. Cat. mai. 18, 1: *ἔδοξε γὰρ οἷον ἐμπυρίζων Ἀφρικανῷ Σκιπίωνι τεθνηκότι τοῦτο ποιῆσαι*, cf. Nissen Krit. Unt. p. 50. 218. Lange Röm. Alt. II[2] p. 226 et 235. Aliter Mommsen Hermes I p. 198.

[2]) Liv. XXXIX, 52. Plut. Cat. 17, 1: *προέγραψε τῆς συγκλήτου τὸν συνάρχοντα καὶ φίλον Λεύκιον Οὐαλέριον Φλάκκον*.

[3]) Jord. Cat. orat. XVII, Cic. de sen. 12. 42. Liv. l. l. Plut. Cat. mai. 17. Flam. 18. Val. Max II, 9, 3. de vir. ill. 47, 4.

[4]) cf. Caton. orat. XVII, 3. Jordan: „Aliud est, Philippe, amor, longe aliud est cupido, accessit ilico alter, ubi alter recessit; alter bonus, alter malus.“

[5]) Jord. Cat. or. XIX. prol. p. LXXX. Charis. II p. 216 Keil. Frontin. de aquis Rom. II, 94. 97. cf. Liv. XXXIX, 44. Plut l. l. 19, 1.

[6]) Quis fuerit ille Claudius ambigitur. Utrum Appius Claudius Nero, qui praetor Hispaniam ulteriorem sortitus est (Liv. XXXIII, 42. XXXIV, 10) et 189/565 inter x legatos ad res Asiae disceptandas componendas que missus est (Liv. XXXVII, 55), an C. Claudius Nero, qui bello Punico secundo Hasdrubalem devicit (Liv. XXVII, 50. Nep. Cat. 1) et posteriore tempore censor factus est (Liv. XXIX, 37), an C. Claudius Nero legatus ad Ptolemaeum (Liv. XXXI, 2).

[7]) Quid sacrificium commissum significet recte exponit Jordanus prol. p. LXXX Ciceronis testimonio de leg. II, 9, 22: „sacrificium committit qui sacra deserendo sacrum committit.“ atque similiter Feldhügel Cic. de legibus. Zeiz 1852. ad l. l.: „ein Vergehen gegen das Heilige,“ Nefandum scelus autem eum commisisse, qui talis sacerdotii officio tanquam hereditario deesset neque debita praestaret, nos docet Ed. Lübbertus in dissertatione, quae inscribitur Commentationes pontificales, Berlin 1859. p. 177.

„Quod tu, quod in te fuit, sacra stata, solemnia, capite sancta deseruisti" (Festus p. 344 M.) et quia ob corpus nimis pingue „sedere non posset in equo trepidante", ut ipse Cato valde significanter dicit (Jord. l. l. fragm. 6)[1]). — In censibus quoque accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit. Dictum ad hanc rem spectans Cicero nobis servavit. Nam cum Cato censor L. Porcium Nasicam quaesivisset: „Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit, ex mei animi sententia" (Cic. de orat. II, 64, 260. cf. Gell. n. A. IV, 20, 1 sq.). Aquam publicam omnem in privatum aedificium aut agrum fluentem ademerunt (Liv. l. l. Plut. l. l. 19, 1.) et quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt. (Liv. l. l. Plut. l. l.). Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula quae pluris quam quindecim milium aeris essent deciens pluris in censum referre iuratores Cato iussit, qua re perspicitur luxuriam Oppia lege abrogata in dies magis serpsisse (Liv. ib. 44. Nep. Cat. 2, 3. Plut. 18). Orationis, quam Cato hac occasione de vestitu et vehiculis habuit, fragmentum exstat apud Jordanum (Cat. or. XXI. prol. p. LXXXII) et fortasse huc spectat oratio de signis et tabulis (Jord. Cat. or. XXII.)[2]). Item mancipia annis viginti minora, quae post proximum lustrum decem milibus aeris aut eo pluris venissent, ut ea quoque deciens tanto pluris quam quanti essent aestimarentur et his rebus omnibus terni in milia aeris attribuerentur edixit. Et vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis censores locaverunt (Liv. l. l. Plut. l. l. 19, 1)[3]). Sed publicani, qui ne magnas iacturas facerent metuerunt, atque ii, qui a Flaminini parte steterunt, a senatu ut locationes induci et de integro locari iuberet impetraverunt (Liv. l. l. Plut. Cat. 19, 2. Flamin. 19, 3) et plebis tribunos nonnullos, ut Catonem apud populum accusarent et duobus talentis punirent incitaverunt (Plut. Cat. 19, 2). Cato autem contra tribunos oratione se defendit, cuius fragmenta esse videntur, quae Festus p. 242 prodidit sub inscriptione „ad litis censorias" (Jord. or. XXIII). Censores deinde omnes locationes edicto iis ab hasta, qui priores ludificati erant, summotis paulum imminutis pretiis denuo fecerunt (Liv. l. l.). — Opera praeterea facienda ex decreta in eam rem pecunia lacus sternendos lapide detergendasque qua opus esset cloacas, in Aventino et in aliis partibus, quibus nondum erant, faciendas locaverunt (Liv. ib.). Ad cloacas his censoribus purgandas pertinere videntur ea, quae C. Acilium, Catonis aequalem (Peter hist. Rom. rell. p. CXX), de sumptibus narrasse Dionysius Halicarnassensis dicit (antiq. Rom. III, 67): „*ἀμεληθεισῶν ποτε τῶν τάφρων καὶ μηκέτι διαῤῥεομένων τοὺς τιμητὰς τὴν ἀνακάθαρσιν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπισκευὴν χιλίων μισθῶσαι ταλάντων.*" cf, Peter hist. R. rell. p. 330. Mommsen Röm. Gesch. I[5] p. 808. — Praeterea Cato atria duo Maenium et Titium in lautumiis et tabernis quattuor in publicum emptis basilicam ibi fecit, quae Porcia appellata est (Liv. ib. Plut. Cat. 19, 2. de vir. ill. 47, 5). De ea re orationem „uti basilica aedificetur"[4]) Catonem in senatu habuisse consentaneum est. In lustro condendo Cato orationem

[1]) Haud scio an ex hac oratione sumptum sit dictum illud Catonis apud Plutarchum (Cat. mai. 9, 5): „*τὸν δ' ὑπέρπαχυν κακίζων*" *ποῦ δ' ἂν ἔφη σῶμα τοιοῦτον τῇ πόλει γένοιτο χρήσιμον, οὐ τὸ μεταξὺ λαιμοῦ καὶ βουβώνων πᾶν ὑπὸ τῆς γαστρὸς κατέχεται*;

[2]) Hanc orationem Plinius attingere videtur, cum scribat (XXXIV, 6, 31): „exstant Catonis in censura vociferationes mulieribus Romanis in provinciis statuas poni."

[3]) Nissen Krit. Unters. p. 296 falso contendit: „aber neu ist hier (id est apud Plutarchum) die Verminderung des Lohnes für öffentliche Arbeiten," nam apud Livium quoque c. 44 ea res legitur.

[4]) Priscian. VIII p. 433 Hertz. Jord. Cat. prol. p. LXXXII.

„de lustri sui felicitate" habuit[1]). Catonis orationis de consulatu suo fragmenta (Jord. or. I): „Censores qui posthac fient formidulosius atque segnius atque timidius pro republica nitentur" (fr. 27) et „videtote, quanto secus ego fecerim" (fr. 28), ad censuram strenue atque severe a Catone actam pertinere recte Jordanus vidit prol. p. LXVII. — Populum autem Catonis censuram tam gratam accepisse, ut ei in templo Salutis statuam poneret, Plutarchus testatur, qui ipsam statuae inscriptionem Graece vertit (l. l. 19, 3): „*ὅτι τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν ἐγκεκλιμένην καὶ ῥέπουσαν ἐπὶ τὸ χεῖρον τιμητὴς γενόμενος χρησταῖς ἀγωγαῖς καὶ σώφροσιν ἐθισμοῖς καὶ διδασκαλίαις εἰς ὀρθὸν αὖθις ἀποκατέστησε.*"

Haec est nobilis censura Catonis, ob quam posteriore tempore ei Censorio cognomen datum est. Priscorum atque honestorum morum „custos rigidusque satelles", ut Horatii verbo utar, luxuriam et avaritiam, intemperantiam et libidines edictis legibusque coercere et reprimere nitebatur, sed frustra earum impetui adversatus est. Peregrini malique mores tam vehementer irruperunt, ut tanquam torrens turbulentissimus impedimentis omnibus superatis universam gentem Romanam inundarent.[2])

Anno 157/597 discidiis inter Masinissam et Carthaginienses exortis ut a senatu Romano legati ad pacem conciliandam mitterentur utile visum est. In horum legatorum numero Cato quoque fuit.[3]) Cum Carthagine commoraretur, eam urbem, quam debilitatam atque exhaustam esse opinatus esset, divitiis opibusque abundare, rerum ad bellum idonearum copiis instructam esse valde miratus est. Atque adeo legati populi Romani a Carthaginiensi plebe per insolentiam iniuriis affecti esse videntur, nam Cato in oratione „de bello Karthaginiensi" (Jord. Cat. or. XXXVII, 2) haece dicit: „Aures nobis + calliscerunt ad iniurias." (Nonius p. 89). Ex hoc tempore Cato veritus, ne quando Carthago, veterrima Romae aemula, secunda occasione data clades illas graves acceptas ultura esset, semper perpetuoque cum in senatu de qualibet causa ageretur in sententia dicenda orationem, ut Plutarchus narrat (l. l. 27, 1) conclusit his verbis: „*δοκεῖ δέ μοι καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι,*" Scipione Nasica obloquente: „*δοκεῖ μοι Καρχηδόνα εἶναι*". Posteriore tempore identidem legati Romani Carthaginem ut specularentur missi sunt, qui cum redissent senatum de Carthaginiensium infesto in Romanos animo certiorem fecerunt atque exercitum classemque ab iis comparatos esse nuntiaverunt. Postremo cum Carthaginienses exercitus extra fines destinatos duxissent atque Masinissae, populi Romani socio et amico, arma intulissent, apud senatores iratos Catonis sententia Carthaginem esse delendam pervicit statimque Carthaginiensibus bellum indictum est a. 150/604.[4]) Hac occasione Catonem orationem „de bello Karthaginiensi" habuisse verisimillimum est,[5]) ad quam Jordanus prol. p. LXXXVI recte cognosse mihi videtur pertinere Julii Victoris p. 234 Or. verba: „quale est hoc, Karthaginienses vobis iam hostes sunt.

[1]) Eumenius gratiarum act. Const. 13. panegyr. vet. I p. 469. Jaeger. Jordan or. XXIV.

[2]) De malis pravisque eius aetatis moribus cf. Plaut. Curcul. v. 466 sq. Polyb. XXXII, 11. Mommsen Röm. Gesch. I[5] p. 880. 884 sq. Lange Röm. Alt. II[2] p. 279. 300.

[3]) Plut. Cat. mai. 26, 1 sq. Appian. Pun. 69. Liv. perioch. 47: missi a senatu qui inter Masinissam et Carthaginienses de agro iudicarent . . . . . legati ad disceptandum inter Carthaginienses et Masinissam missi nuntiaverunt, vim navalis materiae se Carthagine deprehendisse.

[4]) Liv. perioch. 48. 49.

[5]) Meyer-Dübner Orat. R. fragm. p. 159.

nam qui omnia parat contra me, ut quo tempore velit bellum possit inferre, hic iam mihi hostis est, tametsi nondum armis agat."

Anno 149/605 Catone etiam tum vivente bellum Punicum tertium geri coeptum est atque Cato de fortitudine Scipionis iuvenis, qui postea Africanus minor appellatus est, tum autem cum Carthago obsideretur tribunus militum meruit, in senatu dixisse fertur reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere (Liv. perioch. 49. cf. Polyb. XXXVI, 6, 6 Plut. Cat. mai. 27, 4). Solum initium, non finem belli, quod „*βουλῇ καὶ γνώμῃ μάλιστα*" (Plut. ib. 26, 1) concitaverat, Catoni ut videret evenit, nam anno 149/605 mortuus est, postquam usque ad mortem „*μέγα ἔσχεν ἐν τῇ πόλει καὶ διὰ τὸν βίον καὶ διὰ τὸν λόγον καὶ διὰ τὸ γῆρας ἀξίωμα*" (Plut. Cat. mai. 19, 6.) [1])

Sed haec hactenus de vita Catonis. Possim persequi permulta alia de Catone oratore, de eius moribus famaque, sed ea quae exposui iam longiora fuisse sentio. Praeterea cum de his rebus coposius et melius quam equidem posse mihi videor iam illi viri docti, quos supra p. 7 attuli, narraverint, ea re supersedeo. Nunc nihil addam nisi ut eos viros doctos laudem, qui praeter illos de Catone oratore eiusque orationibus scripserunt: Sunt enim hice:

Schober, diss. de Catone Censorio oratore. Neisse 1825. — Ellendt, Fr. historia eloquentiae Romanae etc. in edit. Ciceronis Bruti. Regimont. Pruss. 1825. p. 13 sq. (apud Meyer-Dübner orat. R. fragm. p. 17).

Bolhuis, J. H. v. diatribe literaria in M. Porcii Catonis scripta et fragmenta. Trai. ad Rh. 1826. p. 62 sq.

Westermann, Geschichte d. röm. Beredtsamkeit. Leipz. 1835. p. 23 sq. 37 sq.

Meyer-Dübner Oratorum Romanorum fragmenta. Parisiis 1837. p. 111—201.

Jordan M. Catonis praeter libr. de re rust. Lips. 1860. prol. p. LXII—XCVIII.

Ribbeck, O. M. Porcius Cato als Schriftsteller. l. l. p. 7 sq.

Iam ad Catonis Origines accedamus.

---

[1]) De anno mortis omnes auctores consentiunt. Cic. Brut. 15, 61. 20, 80. Vellei. I, 12, 7. Plin. n. h. XXIX, 8, 15. Plut. l. l. 27, 4. — Prorsus falso Closset Annales etc. p. 452 scribit: Il mourut 151 a. J-C. agé de quatre-vingt-treize (?) ans. —

De Catonis Originibus.

Cet ouvrage est le dernier acte de patriotisme que posa ce grand citoyen avant sa mort: c'est une suprême protestation contre le sacrifice de la nationalité romaine au profit des idées étrangères.

Closset l. l.

Cato Romanarum rerum scriptorum primus fuit, qui annalium formam abiecit historiasque Latino atque soluto sermone composuit, nam antea annalium scriptores, ut Fabius Pictor, Cincius Alimentus, res gestas Romanorum Graeca lingua narraverant,[1]) eodemque modo Catonis tempore Albinus Graece scripsit,[2]) quamobrem illum, qui culpam deprecari quam culpa vacare mallet, veniam rogantem Catonem perstrinxisse inter omnes constat, (Polyb. XXXX, 6. Plut. Cat. mai. 12. apophth. 29. Gell. n. A. XI, 8, 4 [Hertz]). Catonis autem historias, quas ipse Origines appellavit (Nepot. Cat. 3, 3), a veteribus auctoribus plurimi aestimatas esse e multis testimoniis apparet. Sicut Cicero Tusc. IV, 2, 3 dicit: „gravissimus auctor Cato in Originibus dixit" etc. id. Brut. 17, 66: „Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? (cf. eiusdem locos supra p. 17 allatos). Nepos Cat. 3, 4 scribit: „in quibus (scil. Originum libris cf. Peter rell. p. CXXXXVI) multa industria et diligentia comparet." Porro Dionysius Halicarnasensis I, 11: „*οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαϊκῶν συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών*" I, 74: „*Κάτων δὲ Πόρκιος . . . ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος, εἰ καὶ τις ἄλλος, περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας*" IV, 15: „*Κάτων μέντοι τούτων* (scil. Fabio Pictore Vennonioque) *ἀξιοπίστερος ὢν ὁρίζει.*" . . Deinde Gellius n. A. II, 28, 5: „M. Cato vir in cognoscendis rebus multi studii", Solinus rer. mem. 2, 2 p. 33 (Mommsen): „Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta, praecipue M. Catone, ut iam inveniri non sit, quod non veterum auctorum praeceperit diligentia." Praeterea conf. Val. Max. III, 4, 6. Vellei. I, 7, 4. Servius ad. Aen. VII v. 678. ib. XI, v. 567. Hoc autem Catonis opus tantis laudibus sublatum, id quod valde dolendum est, prorsus fere periit, nam paucis fragmentis, quae adhuc exstant, nihil fere ad historiam Romanam intellegendam adiuvamur. Quo vero tempore Origines deletae sint, pro certo affirmari vix potest. Nam etsi imperatorum Antoninorum temporibus atque saeculo IV p. Chr. a grammaticis Charisio et Diomede diligenter legebantur, tamen paullatim

---

[1]) Peter hist. R. rell. p. LXXIV. p. CIII.

[2]) ibid. p. CXXIII.

oblivione obrutae esse videntur. Neque vero in illa gentium populorumque universorum mutatione sedium periisse videntur, cum etiam tum Priscianus circ. a. 500 p. Chr. et postea Isidorus circ. a. 600 p. Chr. ipsas Origines in manibus habuissent. Deinde autem diuturno medii aevi, ut vocamus, spatio omnia earum vestigia evanuerunt, nam Annius Viterbiensis nulla nisi disiecta eius praeclari operis fragmenta reperire potuit, quorum fragmentorum ineptam farraginem Romae 1498 p. Chr. in lucem edidit. 1568 Venetiis Antonius Riccobonus fragmenta quae iis temporibus exstabant laudabili diligentia collegit. Deinde Ausonius Popma Frisius veterum historicorum in iisque Catonis fragmenta collegit, quae emendata et scholiis illustrata Amstelodami prodierunt. Quae collectio tam plene et perfecte quam illo quidem tempore fieri potuit facta est, ut sequentis temporis viris doctis nihil fere ad colligendum relinqueret. Sed illius indigestae molis in ordinem redigendae viam ac rationem ostendit primus Gregorius Maiansius in commentariis, quos scripsit ad XXX Iureconsultorum fragmenta. Genevae 1764. tom. I p. 57 sq. Nihilominus Albertus Lion [1]) eam viam Catonianorum fragmentorum disponendorum non tenuit et quas reliquias Popma ediderat incredibili levitate iteraverit. Multa industria atque doctrina Bolhuis reliquiarum ordinem constituere conatus est. [2]) Septem annis post A. Krause [3]) in veterum historicorum Romanorum fragmentis colligendis Catonis Originum reliquias denuo conturbatas edidit, quin etiam Maiansii et Bolhuisii dissertationes inspicere se nequisse fatetur praef. p. VI. Deinde A. Wagener [4]), e Popmae potestate se emancipans de singulis fragmentis diligenter inquisivit et in iis emendandis summo ingenio subtilitateque usus est, sed viam ac rationem a Nepote indicatam neglexit. Valde compendiaria Originum fragmenta C. L. Roth [5]) in fragmentis veterum historicorum Romanorum collectis protulit. Postea multo feliciore eventu in Originum reliquiis emendandis et disponendis versatus est Bormann, [6]) qui de Originibus doctissime disseruit. Omnium Catonis scriptorum, Originum, orationum ceterorumque fragmenta diligentissima et accuratissima collectione coniunxit H. Jordan [7]) eamque locupletibus acutissimisque prolegomenis adornavit. Haec collectio tam ampla atque ita absoluta est, ut nihil addendum sit. Nuper Hermannus Peter [8]) in praeclara illa historicorum Romanorum reliquiarum collectione Originum fragmentorum textum nonnullis locis emendavit atque de Originibus praefatus multa nova in lucem protulit.

Itaque postquam permulti doctissimique viri in Originum fragmentis colligendis elaboraverunt, novam collectionem instituere haud scio an vanum et inutile sit. Neque mihi in animo est illud facere. Sed multa restant, quae etiam magis quam factum est ut explicentur digna sint, cum de Originum argumento, de narrationis modo, de singulis fragmentis, quid significent, tam diversae opiniones prolatae sint, ut eas componere et examinare operae pretium sit. Ea, quantum in me est, efficere studebo.

[1]) Catoniana sive M. Porcii Catonis Censorii quae supersunt operum fragmenta. Gött. 1826.
[2]) J. H. v. Bolhuis diatribe literaria in M. Porcii Catonis scripta et fragmenta. Trai. ad Rh. 1826.
[3]) Vitae et fragmenta veterum historicorum Romanorum. Berol. 1833. (Peter H. R. rell. p. VII. falso: 1853).
[4]) M. P. Catonis Originum fragmenta emend. disposita illustrata. Bonnae 1849.
[5]) Historicorum vet. Rom. reliquiae Basiliae 1852.
[6]) M. P. Catonis Originum reliquiae. Brandenburg 1858.
[7]) M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant. Lipsiae 1860.
[8]) Historicorum Romanorum relliquiae dispos. rec. praef. vol. I. Lips. 1870. proleg. p. CXXVII sq. p. 51 sq.

Ex ipsis Originum fragmentis non satis de pristina operis integri forma certiores reddimur, cum fragmenta iis orationis pro Rhodiensibus exceptis (Jord. orig. l. V fr. 1 sq.) valde exigua atque disiecta sint, quippe cum maximam partem nobis servata sint a grammaticis, ut a Gellio, Festo, Nonio, Servio Honorato, Macrobio, Charisio, Diomede, Prisciano, qui nimirum Origines non historicarum, sed grammaticarum quaestionum causa excerpserunt. Quae cum ita sint, nihil fere de Originibus cognosceremus, nisi Cornelii Nepotis verba de earum argumento usque ad nostra tempora pervenissent. Is enim Cat. c. 3, 3. haec disserit:

„Senex historias scribere instituit. earum sunt libri septem. primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica. ob quam rem omnes origines videtur appellasse. in quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. atque haec omnia capitulatim sunt dicta. reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos. atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. in isdem exposuit, quae in Italia Hispaniaque aut fierent aut viderentur admiranda. in quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina." Praeterea exiguum testimonium exstat apud Frontonem de princip. hist. p. 224 ed. Rom.,. ubi dicit: „ita Cato oppidatim statuis ornandus qui primus Latini nominis subolem et Italicarum civitatium pueritias inlustravit."

Nepos igitur contendit Catonem senem fuisse, cum historias scribere instituerat, atque hoc testimonio nitendum est, praesertim cum fide dignissimum videatur, nam veteri quoque graviores auctores in ea re a Nepote non dissentiunt. Velut Cicero de sen. 11, 38 scribit: „septimus mihi liber Originum est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo; causarum illustrium, quascumque defendi, nunc cum maxime conficio orationes." Iam cum Cicero dialogum de senectute anno 150/604 habitum esse fingeret (cf. de sen. 5, 14. 10, 32. Tito Flaminino M'. Acilio coss.), eum putasse hoc ipso anno Catoni septumum Originum librum in manibus fuisse consentaneum est. Idem confirmatur Cic. Brut. 23, 86: „summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit (149/605); quam orationem in Origines suas rettulit, paucis antequam mortuus est diebus an mensibus." Neque ulla causa est cur de ea re dubitemus. Alterum testimonium a Plinio nat. hist. III, 14, 144 (Jord. orig. II fr. 19) affertur, qui scribit: „Ameriam supra scriptam Cato ante Persei bellum conditam annis DCCCCLIII [1]) prodit." Quae res cum ita se habeat, Cato post bellum Persicum 172/582—168/586 librum Originum secundum, in quo Cato ea prodidit, composuerit necesse est, quia, sin aliter res se haberet, illud tempus constituere non potuisset. Itaque non fallamur, si ex hac re concludamus Catonem Origines Persici belli tempore scribere incepisse atque usque ad extremum vitae tempus in iis conficiendis versatum esse (cf. Cic. Brut. 23, 89.) Mommsenius quoque (Röm. Gesch. I[5] p. 937) censet: „Catos gesammte litterarische Thätigkeit gehört erst in sein Greisenalter (Cic. Cat. 11, 38. Nep. Cat. 3); die Abfassung auch der früheren Bücher der „Ursprungsgeschichten" fällt nicht vor, aber warscheinlich auch nicht lange nach 586/168. (Plin. l. l.)" Bormannus l. l. p. 29 cum Catonem extremis demum vitae quattuor quinqueve annis Origines conscripsisse contendat, artioribus quam qui demonstrari possunt finibus temporis spatium circumscripsit. Ab ea sententia Catonem

[1]) Sic scribit Detlefsen l. l., contra Jordan l. l. et Peter fr. 49 praebent: DCCCCLIV.

demum post bellum Persicum Origines scribere coepisse non discrepat, quod Varro apud Censorin. 14, 2 testatur senem ad minimum esse debere sexagenarium. [1]) Attamen si Livius XXXIV, 5 L. Valerium tribunum plebis in oratione pro lege Oppia abroganda loquentem facit: „tuas adversus te Origines revolvam," tempora eum confudisse luce clarius est, cum 195/659 Cato de Originibus conscribendis nondum cogitaret. [2]) Contra Bolhuisius l. l. primum Originum librum in filii usum conscriptum esse putat. At Valerius tr. pl. illa exempla de Marcio Coriolano et urbe a Gallis incensa e primo libro, qui Nepote teste regum res gestas continebat, affere non potuit, cum ad ea exempla afferenda sequentibus libris opus fuisset. Atque praeterea Catonis filius cum 192/562 demum natus esset [3]) et 173/581 Popillii Laenatis auspiciis primae militiae elementis imbueretur, [4]) eam argumentationem falsam esse perspicuum est. Quod si Plutarchus Cat. mai. 20, 5 dicit: *„καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχοι τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι.*", haudquaquam ex ea re concludere nobis licet Origines iam decem quindecimve annis ante bellum Persicum confectas esse, ut Catonis filius iis institueretur. Praeterea Origines ob diligentes rerum historicarum investigationes parum aptas ad *„τὸν παῖδα,"* cui in legendo *„μεγάλοις γράμμασιν"* opus erat, docendum fuisse, quis est qui neget? Plutarchi autem Cat. mai. cap. 20 e vitae quodam scriptore sumptum minoris auctoritatis esse, cum supra de Catonis vitae fontibus quaereremus, demonstravimus. Itaque Plutarchum parum accurate de ea re rettulisse atque alium compendiarium libellum ab Originibus diversum iam diu ante Origines conscriptas a Catone filii docendi causa compositum esse statuendum est. [5])

Originum librorum numerum septem fuisse Nepos scribit neque dubitandum est de ea re, quippe cum nullus grammaticus plures quam septem libros attulerit et Cicero quoque septimum librum laudet. Praeterea de ea re consentiunt Bormannus l. l. p. 29; Jordanus Cat. prol. p. XIX, Peterus l. l. p. CXXXI et quae de ea re copiose disseruerunt recoquere non libet. Quod si Ludovicus Lersch (Museum der rhein.-westphäl. Schulmänner III, 3 p. 233) censuit, non ipsum Catonem, sed Octavium Lampadionem Origines in septem libros divisisse, eum falsum esse Bormannus l. l. et Peterus l. l. iam satis demonstrarunt.

Deinde Nepos pergit primum librum continere res gestas regum populi Romani, secundum et tertium, unde quaeque civitas Italica orta sit. Ea res horum librorum fragmentis quae quidem adhuc exstant confirmatur. Sed valde ambigitur, num Cato libris secundo et tertio, cum liber primus regum res gestas contineret, quarto autem de bello Punico primo narraretur, praeter Italicarum civitatium origines Romanae etiam reipublicae ab expulsis regibus usque ad bella Punica historiam persecutus sit. Ex ipsis Nepotis verbis, libris secundo ac tertio quaeri, unde quaeque civitas Italica orta sit [6]), apparere videtur Catonem his libris solas Italicarum civitatium

[1]) cf. Ritschl parerg. Plaut. I p. 62.

[2]) Iam Gerardus Jo. Vossius de historicis Latinis Lugd. Bat. 1651. lib. I. cap. V. p. 21. hoc peccatum in temporis ratione admissum perspexit. Pluribus de ea re disserit Peter hist. R. r. prol. p. CXXIX.

[3]) Jordan prol. p. XXI. Peter l. l. prol. p. CXXX.

[4]) Drumann Gesch. Roms V. p. 150.

[5]) cf. Drumann Gesch. Roms V p. 43. Jordan Cat. prol. p. XXI. Peter H. R. r. prol. p. CXXX. — Epitomen illam, quam Jordanus l. l. suspicatus est, iure meritoque Peterus l. l. reicit neque opus est ea repetere.

[6]) Eadem attingere mihi videtur Dionysius Hal. I, 11: *Πόρκιός τε Κάτων ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών.*

origines, non Romanae reipublicae historiam eius aetatis, quae multis bellis externis multisque civilibus inter patricios plebeiosque exortis discordiis agitabatur, tractasse. Ceterum de ea quaestione viri docti inter se dissentiunt, nam id temporis spatium silentio a Catone praeteritum esse alteri aiunt, alteri negant.

Negant enim hi:

1) Niebuhrius (Röm. Gesch. 1828, I p, 9sq. Vorträge I p. 26) dicit: „wie Cato die Ausbreitung der römischen Herrschaft in Italien schilderte, scheint er die Geschichte jedes einzelnen italischen Volkes erzählt zu haben."
2) Bolhuisius diatrib. p. 3: „suspicari licet ea simul in iis (i. e. libris II et III) fuisse exposita, quae a regibus expulsis usque ad bellum Punicum I Romani gesserunt.
3) A. Wagener l. l. p. 5 totam Romanorum historiam in Originibus fuisse pertractatam [1]).
4) Schwegler (Röm. Gesch. I p. 81 [1858]): „im II. und III. Buche (waren dargestellt) die Gründungssagen der italischen Städte, warscheinlich in Verfolgung des weiteren Verlaufs der römischen Geschichte, der, wie man annehmen muss, in diesen Büchern erzählt war."
5) Closset essai etc. p. 453: Il est fort probable que ces deux livres outre ces investigations archéologiques renfermaient aussi l'histoire de la république romaine jusqu' à ses premiers différends avec Carthage et que cette histoire était même le centre auquel il rattachait avec soin ce qu'il savait sur l'origine des peuples d'Italie.
6) Nuper hanc sententiam denuo amplexus est H. Peterus H. R. rell. proleg. p. CXXXII. p. CXXXXI: „etiam hic Nepotem, cum brevitatis studiosus esset, neglexisse concedetur, quae Cato ut bella Punica cum regum rebus gestis coniungeret, ab exactis regibus repetiisse videtur."

Contra ab altera parte permulti et viri docti stant, qui haec tempora silentio praetermissa esse censent:

1) Blum K. L. Einleitung in Roms alte Geschichte, Berlin 1828. p. 112: „Auffallen muss es, dass Cato die ganze lange und glorreiche Zeit Roms von der Vertreibung der Könige bis zum I. Punischen Kriege übergangen hat. De causa, cur Cato id fecerit, ambigit.
2) Krause fr. h. R. p. 96 censet secundum Nepotis verba Catonem haec tempora omisisse.
3) Drumann Gesch. Roms, Th. V p. 145 (Königsb. 1841): „Die Origines enthielten nach einleitenden Bemerkungen über die mythische Zeit die Geschichte Roms während der Monarchie und vom ersten Pun. Kriege bis zum Anfange des dritten".
4) Nitzsch Gracchen (Berlin 1847) p. 216 sq., postquam in Polybio (Kiel 1842) p. 115 et p. 140 a. 3. contrarium contendit, priore opinione mutata quinque annis post haec vult: „Es ist bezeichnend, dass Cato diesen Zeitraum vom ersten Consulat bis zum ersten Pun. Kriege überschlagen zu können glaubte und zwar deshalb, weil er nach Gell. II, 22 (falso citat pro II, 28) geschrieben habe im IV. Buch der Origines: non lubet scribere etc." p. 218 conicit aliam causam, cur Cato haec tempora omisisse videatur, atque Catonem

[1]) Wagener secutus est priorem Nitzschii in Polyb. p. 115 et p. 140 an. 3 prolatam, postea autem in Gracch. p. 216 sq. ab ipso reiectam opinionem.

id fecisse censet, „um bei seinen hohen Jahren doch wenigstens die Hauptpartien seines Werkes nicht unvollendet zu lassen." At haec causa minime mihi probatur, nam in graviorum temporum numero sine ullo dubio habenda sunt bellum Celticum urbisque incensio, bella contra Samnites et Pyrrhum gesta.

5) Gerlach Fr. D. Geschichtsschreiber der Römer Stuttg. 1855. p. 56.

6) Bormann l. l. p. 33 contendit in secundo tertiove libris non infuisse historiam Romanam; in libro secundo civitates Italiae superioris, in tertio inferioris descriptas esse.

7) Ribbeck Schweiz. Museum I p. 7 sq.

8) Lewis Untersuchungen I p. 36.

9) Mommsen Röm. Gesch. I[5] p. 940.

10) Jordan proleg. p. XXIII: „mihi Mommsenii coniectura, quam libri IV fragm. 1 verbis firmavit, probabilis visa est.

11) Lange Röm. Alterth. I[2] p. 30.

His omnibus enumeratis magnum virorum doctorum numerum Niebuhrio, Schweglero, Petero adversari cognoscimus. Plerique opiniones suas nullis causis additis nude ponunt neque Peterus sententiam suam confirmare videtur p. CXXXXI iis verbis, quae modo laudavi.

Equidem utrisque sententiis perpensis consenserim cum Drumanno, Nitzschio, Bormanno, Mommsenio, Jordano, cum ordinum reipublicae Romanae discordias plebisque seditiones aut eius aetatis bella externa Catonem nequaquam descripsisse censeam. Ad hanc sententiam comprobandam causas quas invenire possum proferam. Prima enim causa inesse mihi videtur in Dionysii Hal. ant. R. I, 6—7, quo loco fontes enumerat. Scribit autem ex hominibus Graecis Hieronymum Cardianum, Timaeum Siculum, Antigonum, Polybium, Silenum permultosque alios antiquitates Romanas breviter attigisse; similesque historias edidisse, quotquot Romani homines urbis suae res antiquas Graeco sermone scripsissent; velut Qu. Fabium Pictorem, L. Cincium Alimentum, bellis Punicis aequales, eas res quibus ipsi interfuissent diligenter litteris mandasse, *„τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς"* percurrisse. Quas ob causas sibi visum esse pulcherrimam historiam a superioribus, i. e. Graecis auctoribus, intactam silentio non praeterire. In historia autem scribenda se adiutum esse cum doctissimorum hominum colloquiis tum maxime laudatorum ab his virorum *ἱστορίαις* superiorum saeculorum, scilicet Porcii Catonis, Fabii Maximi, Valerii Antiatis, Licinii Macri, Aeliorum, Gelliorum, Calpurniorum *„ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν (εἰσὶ δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι)"*. E quibus auctoribus Dionysius libro quinto sequentibusque, qui continent historiam reipublicae Romanae post reges expulsos, solos laudat Licinium Macrum (V, 74. VI, 11. VII, 1), Gellium (VI, 11. VII, 1). Calpurniumque Pisonem (XII, 4). Iam vero cum in libris quattuor prioribus, in quibus regum res gestae narrantur, Catonem saepius quam ceteros afferat, scilicet septies (I, 7. 11. 13. 74. 79. II, 49. IV, 15), in auctoribus enumerandis principem ei locum det, saepe eius industriam magnis laudibus efferat eiusque fidem Fabio Pictori et Vennonio (IV, 15) anteponat, Dionysium in his libris Catonem persaepe in usum vocasse apparet.[1]) Atqui in sequentibus libris Dionysius Catonem nusquam nominat, etsi usque ad undecimum eius libri integri ceterorumque copiosa fragmenta servata sint. Ergo ex hoc silentio licere mihi videtur concludere Catonem

[1]) Eam quoque rem testatur Kiessling de Dionysii fontibus p. 18.

historiam Romanam post reges exactos non tractasse. Quae si non ita se haberent, Dionysium eo auctore, quem in prioribus libris magnis laudibus sustulerat atque persaepe in usum vocaverat, in sequentibus quoque usurum gravissimaque eius auctoritate se firmaturum fuisse verisimillimum esset, praesertim cum historia liberae reipublicae tam incerta atque dubia esset, ut Catonis auctoritate permulta et falsa emendatiora reddi atque illustrari potuissent. Si quis mihi opposuerit Dionysium etiam Valerium Antiatem, quem illa liberae reipublicae tempora narrasse constaret, in sequentibus libris non laudasse, non magni id momenti esse puto. Nam Valerium Antiatem bis tantum laudat (I, 7. II, 12) atque pauca e Valerio Antiate hausisse mihi videtur, etsi Peterus H. R. rell. prol. p. CCCXIV multa ex illo tacite Dionysium exscripsisse censet. Attamen etiamsi illud Peteri *ἀξίωμα* (H. R. rell. prol. p. LXI) largiamur, veteres auctores primariorum fontium nomina non adscripsisse, nisi ut illos corrigerent aut doctrinae suae fructu gloriarentur, atque Livium, Dionysium, Plutarchum, cum auctorum quorundam testimonia reicerent, minime eorum auctoritatem ipsos sprevisse, immo vero praecipuis auctoribus *κατ' ἐξοχήν* usos esse,[1]) nihilominus fieri non potuit, ut Dionysius bis modo Valerii Antiatis nomen afferret, cum hoc quidem auctore, quem Livius saepissime propter dubiam fidem vituperet (Nissen Krit. Unt. p. 43 sq.), usus multa et falsa ut corrigeret atque eruditione doctrinaque gloriaretur necesse esset.

Alteram causam ad sententiam quam de Catonis Originibus professus sum probandam peti posse arbitror e Ciceronis de rep. II, 1, 3. verbis: „quam ob rem ut ille solebat (scil. Cato), ita nunc mea repetet oratio populi Romani originem: libenter enim etiam verbo utor Catonis." Originem, non Origines scribit Cicero, nam solam Romanam rem publicam et nascentem et crescentem ostensurus est, non origines ceterarum Italiae civitatium, quas Cato descripserat. Itaque consulto Ciceronem originem scribere suspicor atque hoc loco primum Catonis historiarum librum, qui originem Romae urbis continebat, attingere. Ciceronem enim originem intellegere totam universamque Romae sub regibus historiam e sequentibus perspicitur.[2]) Conferantur quoque de rep. II, 21, 37: „nunc fit illud Catonis certius, nec temporis unius nec hominis esse constitutionem rei publicae: perspicuum est enim quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio."

Ergo Catonem censeo libro primo Romae originem, libris secundo ac tertio ceterarum Italiae urbium origines exposuisse eamque ob rem hos tres libros iure meritoque Origines inscripsisse. His enim libris priore tempore opus suum finire eum voluisse, cum de originibus urbium quaereret, non historias scriberet. Postea autem quattuor illos libros extremos addidisse, ut res gestas, quibus maximam ad partem ipse interfuisset, memoriae litterisque mandaret, praesertim cum ceteri auctores in historia Romana concribenda Graeca lingua uterentur neque ulla de illis

[1]) Eandem rationem iam septem annis ante pater eius constituit. cf. C. Peter, Livius und Polybius. Ueber die Quell. d. XXI u. XXII B. des Livius. Halle 1863. p. 3.

[2]) Eandem sententiam legimus apud Livium II, 1: „nam priores ita regnarunt, ut haud immerito omnes (scil. reges praeter Tarquinium Superbum) deinceps conditores partium certe urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudinis addiderunt, numerentur." cf. Livii praefat. — Eodem modo Nitzsch Polyb. p. 140 a. 3. Gracch. p. 214 origines esse censet: „Anfänge und successive Entwicklung des röm. Staates"; quae Wagener l. l. p. 6 falso Latine vertit „reipublicae explicationem."

temporibus Latine composita historia exstaret, nisi quod Naevius in bello suo Punico, Ennius in annalium libro septimo sequentibusque[1]) illa Punica bella carminibus celebrassent.[2])

Deinde ex Originum libri II et III fragmentis 44, quae Jordanus, vel 46, quae Peterus collegit, omnia ad Italicarum civitatium origines earumque gentium mores spectant, nusquam autem Romanae reipublicae constitutionis aut eius bellorum seditionumve mentio facta est. Nam fragmenta 36 et 72 (Peter), quae sola huic opinioni opponi possunt, potius ad fabulas certis locis inhaerentes quam ad historiam Romanam pertinere videntur. (cf. Bolhuis l. l. p. 33). Itaque cum tot fragmentis e libris secundo et tertio allatis nullum ad historiam Romanam pertineat, fortuito id factum esse negaverim (cf. Bormam l. l. p. 32), quippe cum illorum temporum res gestae Romanorum multo graviores dignioresque essent quae afferrentur quam Italicarum urbium origines. Ergo ea quoque re sententia mea probari mihi videtur.

Denique e Gellii verbis II, 28, 6 (Peter fr. 77): „Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit," cum Mommsenio, Jordano ceterisque consentio apparere illa tempora a Catone silentio praetermissa esse. (cf. Blum l. l. p. 112. Jordan l. l. p. XXIII. Mommsen R. G. I[5] p. 940). Livius quoque (VI, I) haec tempora et nimia vetustate et quod publica privataque monumenta urbe a Gallis incensa interiissent, valde obscura esse testatus est. cf. Plut. Camill. c. 22.

Quod attinet ad eas res, quae in singulis Originum libris infuerint, Nepos quidem solus auctor est, qui nos de ea re certiores facit, cum singulorum deinceps librorum argumenta explicet. Quae sine dubio facere non potuit, nisi ipse eos Catonis libros perlegisset. Praeterea de ea re vix dubitandum est, cum librum de vita Catonis separatim se fecisse confiteatur rogatu Pomponii Attici, earum rerum periti doctique existimatoris. Bormannus quoque p. 27, Jordanus p. XXII aliique opinantur necessario inde sequi ut ipse Nepos Catonis Origines perlegerit. Primus igitur liber continebat Romae urbis originem regumque res gestas, secundus et tertius civitatium Italicarum origines, quartus bellum Punicum primum, quintus Punicum secundum, libri sextus et septimus reliqua bella usque ad praeturam Servii Galbae. Hoc unum gravissimumque testimonium ex iis antiquitatis Romanae temporibus quibus Catonis Origines servatae etiam tum legebantur, magni aestimandum est, quippe cum neque aliis testimoniis illud refutare neque aliis plenius facere possimus. Quod si pauca a grammaticis numeris librorum additis allata fragmenta cum hoc ordine repugnare videntur, Nepotis auctoritas ea re minime infringitur. Fragmenta enim 84. 86—87 (Peter), si tempus spectamus, ad quartum Originum librum non quadrant, etsi Gellius X, 24, 7. et II, 19, 9. Noniusque p. 100 ea illi libro attribuunt. Nam cum ad bellum Punicum secundum, quod libro quinto Nepote teste narrabatur, pertineant, huic libro assignanda esse videntur. Qua re commotus Bormannus p. 36 etsi fragm. 16 (Gell. X, 24, 7. Peter fr. 86), cum testimonio Gellii spreto Nepotis verba anxie premat, quinto Originum libro adscripsit, tamen sibi non constans fragmentum e Gellio II, 19, 9 allatum (Peter fr. 87), quae verba iure a Jordano orig. l. IV fr. 12 (in unum enim fragmentum duos

[1]) cf. Vahlen Ennianae poes. reliqu. Lips. 1854. p. LV sq.

[2]) Septem Originum libros in duas diversas partes dividendos esse, quarum altera Romae Italicarumque urbium origines, altera propria historia continerentur, censuerunt Bolhuis l. l. p. 3. Blum l. l. p. 112. Krause l. l. p. 96. Nitzsch Gracch. p. 214. Teuffelius quoque (Röm. Lit. ed. III. p. 196) censet tres illos priores libros initio solos editos esse. — cf. Lewis Untersuch. II. p. 36. Peter hist. R. r. prol. p. CXXXVI.

Gellii locos conglutinat) et Petero (fr. 86) ad Gellii verba X, 24, 7 pertinentia perspecta et composita sunt, in libro quarto reliquit. Deinde Catonis oratio pro Rhodiensibus, quae anno 167/587 a Catone habita est, non modo a Gellio VI, 3., sed etiam a Livio XXXXV, 25 quinto Originum libro adscribitur. A duobus igitur diversis auctoribus idem confirmatur. Sin autem temporis a Nepote constituti rationem habemus, haec oratio libro quinto assignari non potest, cum inter bellum Punicum secundum libro quinto descriptum et inter causam Rhodiensium 167/587 actam supra triginta anni intercesserint. Iam vero quaeritur, quemadmodum ea differentia et inter Livii Gelliique et inter Nepotis verba exstans tollenda sit. Bormannus p. 42 propterea alia librorum argumenta constituit, cum singulis libris provinciarum singularum historias tractatas esse contendat. Librum primum enim continuisse origines Romanorum, secundum tertiumque urbes Italicas, quartam Siciliam, fortasse etiam Sardiniam et Corsicam, quintum et sextum Illyriam et Macedoniam, septimum Hispaniam. Attamen hanc discriptionem parum confirmatam iam Jordanus p. XXII iure meritoque reiecit atque ad illam discrepantiam tollendam p. XXIII statuit, Livium et Gellium orationem pro Rhodiensibus in excerptarum ex Originibus orationum volumine, quod Jordanus exstitisse putat, legisse librique quinti pro sexto notam errore inlatam propagasse, cum Nipperdei ad Nepotis locum suspitio, utrumque scriptorem in eundem errorem casu incidisse iure ei non probetur. Contra Peterus prol. p. CXXXXI censet Nepotem sua discriptione capita tantum horum librorum tangere voluisse neque satis diligenter argumenta distinxisse. At si cum Petero statuamus Catonis Originum librum quintum usque ad annum 167/587 extensum esse, tria bella memorabilia contra Philippum et Antiochum et Persea gesta in eo narrata esse debuerunt. Quae si ita essent, nulla fere bella reliqua erant, quae libris sexto et septimo referri possent, cum Origines Ser. Galbae praetura 150/604 conclusae essent. Iam vero si sententia mihi dicenda est, ut aperte dicam, negare non possum hac in re exstare discrepantiam quandam, quae vix tolli posse mihi videtur. Quod si in viri docti sententiam mihi eundem est, Jordano praeter ceteros assensus sim. Sed quacunque ratione res se habet, semper ut in Nepotis verbis nitamur necesse est. Etenim si huius auctoritatem hoc loco spreverimus, omnia incerta atque dubia fient.

Nepotis verba: „atque haec omnia capitulatim sunt dicta" viris doctis molestam ad interpretandum crucem, ut ita dicam, praebuerunt, cum de significatione vocis „capitulatim" vehementer inter se differant. Quid viri docti de ea re exstimaverint, iam breviter exponam.

1) Heerenius de Plut. font. p. 126. „capitulatim" vertit „breviter et sine ornatu."

2) Bolhuisius l. l. p. 3 idem vult. cf. Pauly Realenc. l. l: „bündig".

3) Closset essai etc. p. 457: „Le récit des Origines était d'une extrême brièveté (κεφαλαιωδῶς). Ad sententiam suam confirmandam attulit locum Sallustii apud Victor. in Cic. lib. I. de inv. „Cato Romani generis disertissimus multa paucis absolvit"

4) Fr. D. Gerlach, Geschichtsschreiber d. Römer p. 56 vertit: in grossen Zügen dargestellt.

5) Bormanus l. l. p. 35: „capitulatim h. l. idem atque apud Plin n. h. II., 12, 55: breviter atque capitulatim attingam. (apud Graecos scriptores κεφαλαιωδῶς). Noli putare Catonem capitulatim dixisse, quae si ita essent, Nepos sane scripsisset: atque haec omnia capitulatim scripsit". Praeterea repugnant nonnulla fragmenta, velut de Q. Caedicio. Itaque Nepos hoc dixit: „haec omnia (quae de summario V librorum priorum modo proposuerat) capitulatim dixi." —

Neque negaverim hanc interpretationem valde subtilem esse atque veritatis speciem prae se ferre videri, quippe cum vox „dicendi“ pro illa „scribendi vel narrandi“ posita magis poeticae quam prosae orationis proprium sit. At fieri non potest, ut ea verba ita interpretemur, cum si id faciamus verba „pari modo“ i. e. capitulatim per se intellegi non possint. Peterus quoque Bormanni opinionem reicit p. CXXXXIII an. 1.

6) Ribbeckius (Schweiz. Mus. p. 7 sq.): nach Hauptstücken.

7) Jordanus l. l. p. LII sq.: quid significet capitulatim apparere e narratione de Q. Caedicio[1]) (fr. 7. Orig. l. IV.) et capitulatim dicendi consilium cerni maxime in dictis factisque memorabilibus.

8) Nissenius Krit. Untersuch. p. 38: „nicht — annalistische Behandlung.“

9) Mommsenius Röm. Gesch. I[5] p. 940: abschnittweise.

10) Teuffelius Röm. Lit. (ed. III) p. 195: nach den Hauptsachen unter Hervorhebung besonders bezeichnender Handlungen und Aeusserungen.

11) H. Peterus hist. R. r. prol. p. XXXXVI: „capitulatim i. e. ita ut parum curaret (scil. Cato), si qua tempora vacua intermitterentur filumque memoriae et narrationis abiceret“ alioque loco ib. p. CXXXXIII: „cuius vocis (scil. capitulatim) quae sit sententia, quamquam unum aliud exemplum ex Plinio (n. h. II, 55: brevissime atque capitulatim perstringam)[2]) prolatum est, tamen satis adparet ex usu substantivi, de quo adverbium illud derivatum est. scripsit igitur Cato res per capita, ita ut levioribus omissis (velut lunae solisve defectionibus, annonae caritate, aliis) summas et primarias exponeret, has vero plene et copiose (cf. fr. 62. Serv. ad Aen. VII, 678). neque enim eum breviter eas perstrinxisse, aut per capita tantum decucurrisse ex relliquiis, quae saepe prolixam prae se ferunt narrationem, satis discimus (vid. fr. 54. 86. 87).

Hae sunt virorum doctorum de illius vocis notione sententiae. Atque ut brevi comprehendam, duae diversae de ea re exstant, nam alteri interpretantur „breviter et summatim,“ alteri res summas maximeque memorabiles“ levioribus praeteritis ita ut filum narrationis singulos annos prementis abiciatur. Prima autem illa explicatio tolerari vix potest, si meminimus fragmenta illa a Petero laudata prolixam prae se ferre narrationem neque ullam causam esse, cur in Sallustii verbis a Clossetio allatis: „Cato Romani generis disertissimus multa paucis absolvit“ offendamus, cum illa quidem ad Catonem oratorem non historicum pertineant. Qua de causa fieri non potest quin alterorum praecipueque Peteri sententiae assentiar. Atque eam rem sic interpretatus sim: Catonem unas res gestas potiores memoratu digniores, quibus legentium animos incenderet, levioribus omissis per capita narrasse idque ita ut, etiamsi res per plures annos continuatae essent, in singulis annis non insisteret, sed temporum ratione neglecta quasi commentarios totos ac plenos scriberet. — Attamen etsi hanc interpretationem constitui, tamen negare non possum hanc vocis capitulatim significationem perraram esse, ne dicam hoc uno Nepotis loco exstare, cum plerumque idem sit atque Graecum illud *κεφαλαιωδῶς*, in quo semper inest notio breviter vel summatim. Conferantur de ea re Dionys. Hal. I, 6: *οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκρι-*

[1]) Gell. n. A. III, 7, 1.

[2]) Nescio num consulto Peterus codicum scripturam „attingam“ mutaverit in „perstringam.“

βῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς[1]) *ἐπέδραμεν.* cf. ib. de compos. verb. c. 1. *κεφάλαια δ' αὐτῆς . . . ὡς τύπῳ περιλαβεῖν.* c. 8. *κεφαλαιωδῶς περιλαβεῖν* atque opponitur *πολὺς λόγος* cf. Polyb. hist. I, 13, 1. II, 1, 4. VI, 5, 2. *ἐπὶ βραχὺ καὶ κεφαλαιωδῶς.* cf. Aristot. eth. Nicom. II, 7 (Bekker p. 31, 24.): *τύπῳ καὶ ἐπὶ κεφαλαίῳ λέγωμεν, ἀρκούμενοι αὐτῷ τούτῳ, ὕστερον ἀκριβέστερον.* cf. ib. II, 9. Bekk. p. 36, 4. — ib. rhet. I, 5. II, 16. — *τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς:* ib. rhet. III, 14. B. p. 138, 4. ib. III, 19 B. p. 148, 4. — Postremo obiter tantum memorare velim Catonem in solis quattuor libris posterioribus, minime in tribus prioribus capitulatim narrasse ex ipsis Nepotis verbis cognosci. Idem volunt Bolhuisius l. l. p. 3. Peterus l. l. prol. p. CXXXXIII aliique. —

Catonis historiarum inscriptionem esse Origines ab omnibus auctoribus confirmatur, nisi quod omissa inscriptione annales laudant Plin. n. h. VIII, 5, 11 Liviique epitomator (perioch. 49). atque praeterea Joan. Lydus de magistr. I, 5 p. 125 Bk. *ἐν τῷ περὶ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιότητος* universe scribit. Cur Cato historias suas appellasset Origines, varium in modum viri docti disputaverunt. Sed illa quaestio vix absolvenda esse mihi videtur, nam qui fieri postest, ut consilium Catonis, de quo in opere inscribendo cogitaverit, temporis spatio duorum fere milium annorum interiecto plane investigemus, quippe cum iam Nepos, qui scribat: „videtur appellasse, de ea re dubitaverit? Quaecunque et prolata sunt et proferentur, dubia ambiguaque sunt. Equidem quod iam supra attigi, censeo Catonem tres priores libros Romae atque Italicarum urbium origines continentes in lucem edere voluisse solos eamque ob rem iure meritoque hos libros Origines nominasse, postea autem quattuor illos extremos libros his primis libris inscriptione nequaquam mutata annexuisse.[2]) Festi autem reprehensionem p. 198 M. nullius esse momenti iam Jordanus l. l. p. XXI demonstravit. Iam vero si Closset l. l. p. 453 e Festi verbis: „originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando praegravant ea quae sunt rerum gestarum populi Romani“ in libris secundo et tertio historiam Romanam pleniore narratione quam Italicarum urbium origines infuisse coniecit, satis habeo commemorasse Festi verba ad universum opus, non ad illos duos libros solos referenda esse.

Quod attinet ad Originum notionem cum Mommsenio (Röm. Gesch. I[5] p. 938) consentio eas vertendas esse: „Ursprungsgeschichten“ idemque significare mihi videntur atque Dionysii Hal. I, 11: *γενεαλογίαι.* Origines autem nequaquam versionem esse Graecae vocis „*κτίσεις*“, velut Callimachi, (Merklin Philol. III p. 269 sq. Schwegler Röm. Gesch. I. p. 81 an. 3. [1858]) iam demonstravit Jordanus l. l. p. XXIV. Neque cum Vossio[3]) consentire possum, qui dicit: „nec video ut aliter defendi Cato possit, quam si antiquiores dicamus per origines *συνεκδοχικῶς* intellexisse „antiquitates“. Glossae vett: origo, *ἀρχαιολογία.*“ Bormannus quoque l. l. p. 43 putat Origines in lingua Graeca esse *ἀρχαιολογίαν* sive *ἀρχαιολογουμένας ἱστορίας.* At Dionysium Origines *γενεαλογίας*, non *ἀρχαιολογίαν* reddidisse, illo loco ant. I, 11 dempto ex ea quoque re apparet, quod Varronis antiquitates, quae inscriptio inter omnes constat, Graece vertit *ἀρχαιολογίας.* cf. Dion. H. ant I, 14. II, 21: *ἐν ἀρχαιολογίαις.*

[1]) Peterus hist. R. r. prol. p. LXXIII dicit „breviter vel summatim“ vertere se malle quam „capitulatim“.

[2]) cf. Lewis iudic. de fid. hist. II p. 36. Peter hist. R. prol. p. CXXXVI. Teuffel Röm. Lit. p. 196 (ed III).

[3]) Ger. J. Vossii de historicis Lat. Lugd. Bat. 1651. lib. I c. V. p. 20.

Praeterea si Nepos scribit: „atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit", rem ita se habere et ex ipsis fragmentis (cf. Peteri fr. 86. 87.)[1] apparet et confirmatur loco Plinii nat. hist. VIII, 5, 11. Plerique etiam viri docti de ea re non dubitant, ut Closset l. l. p. 455. Bormannus l. l. p. 34. Jordanus l. l. p. LIII sq. Peterus l. l. prol. p. CXXXXV. Teuffelius l. l. p. 120. an. 1. 4. Quod si Drumannus (Gesch. Roms V p. 146) nullis argumentis additis contendit: „es ist ungereimt zu behaupten, Cato habe die Kriege erzählt und die Namen der Anführer unterdrückt", a veritate id abhorrere quis est qui nesciat? De ea autem re ambigitur, quemadmodum Nepotis verba „horum bellorum" intellegenda sint, utrum bella Punica ceteraque an ea sola, quae bella Punica secuta sunt, dicantur. Nipperdeius enim l. l. sola quae post Punica gesta essent bella Nepotem in animo habuisse existimat[2]); verum enim vero Peterus l. l. prol. p. CXXXXV recte eum refutat atque in omnibus bellis, quae extremis quattuor libris continebantur, id factum esse demonstrat.[3]) Cur Cato ducum nomina non nominasset, diversas opiniones viri docti ediderunt, velut Closset l. l. „par un secret mouvement de jalousie", Ribbeckius l. l. quod parum civile duxisset Romanorum ducum nomina afferre, non adquiescere eorum ordine militari designato, aliaeque inveniuntur apud Peterum l. l. prol. p. CXXXXV. Attamen cum de Catonis consilio certi quidquam constitui minime possit, eam rem in medio reliquerim.

Iam restat, ut extrema Nepotis verba examinemus, quae sunt: „in isdem exposuit, quae in Italia Hispaniaque aut fierent aut viderentur admiranda in quibus multa industria et diligentia comparet, nulla[4]) doctrina". Catonem autem in omnibus Originum libris, non quarto sequentibusque solis admiranda exposuisse Peterus l. l. p. CXXXXVI contra Bormannum l. l. p. 42 recte monet atque haec fragmenta in admirandorum numero ponit, ex Originum libro secundo: fr. 33 (Nonius p. 208). fr. 39 (Varro de reb. rust. II, 4, 11.) de magnitudine Gallicarum succidiarum. fr. 43 (Varro de reb. rust. I, 2, 7) de vitium agri Picentini fecunditate. fr. 52 (Varr. de r. r. II, 3. 3) de caprarum quarundam velocitate. fr. 57 (Priscian. X p. 903. P.) de campi Tiburtis fertilitate; ex libro quarto: fr. 78 (Festus p. 146 M.) de Poenorum mapalibus. ex libro quinto: fr. 93 (Gell. II, 22, 28). de Hispanorum ferrariis, argenti fodinis, monte ex sale mero magno, vento cercio.[5])

Praeterea si Catonis industria et diligentia a Nepote laudabilem in modum expressis verbis commemorantur, de ea re dubitare vix possumus, quippe cum a Nepotis parte stent Cicero de orat. III, 33, 135. Dionysius Halicarnasensis ant. I, 11. 74. Velleius h. R. I, 7, 4 (Haase). Gellius n. A II, 28, 5. Solinus 2, 2 p. 33 M. Servius ad Aen. VII. 678. XI, 567. quos locos omnes invenies ad verbum allatos apud Peterum l. l. prol. p. CXXXXVII. Equidem addere velim Catonis diligentiam etiam ea re praecipue perspicuam fieri, quod Ligures de ipsorum ortu memoriam sibi non probantes acerbe vituperat hisce verbis: „Sed ipsi (scil. Ligures) unde oriundi sunt, exacta memoria, inliterati mendacesque sunt et vera minus meminere" (Peter fr. 31. Serv. Aen. XI, 715). et „Ligures autem omnes fallaces sunt" (Peter fr. 32. Serv. Aen. XI., 700). Jordanus Orig. l. II, fr. 1. haec duo fragmenta in unum conglutinat.

[1]) Gell. n. A. X, 24, 7. II, 19, 9.
[2]) Idem voluit Closset l. l. p. 455.
[3]) Idem censent Bolhuis l. l. p. 6. Teuffel l. l. p. 195 a. 1.
[4]) Sic omnes post Nipperdeium viri docti scribunt, solus autem Bormannus „multa" retinet.
[5]) Jordanus Cat. p. 28 hoc fragmentum in septimo Originum libro collocat (fr. 7).

Doctrinam denique (gelehrte Reflexionen und Untersuchungen allgemeiner Natur, cf. Nipperdey ad. l., Schwegler Röm. Gesch. I p. 82 an. 2.) in Catonis Originibus et in integro opere desideratam esse et desiderari in fragmentis, quae adhuc exstant, nemo negabit. cf. Jordan l. l. prol. p. LIX. Peter l. l. prol. p. CXXXXVII.

Haec sunt quae de Catonis Originibus disserenda esse mihi viderentur.

Tabula rerum gestarum Catonis memorabilium.

Anni a. Chr.	u. c.		pag.
234	520	M. Porcius Cato natus est	18
217	537	Septendecim annos natus prima stipendia fecit	20
214	540	Adulescentulus miles cum Fabio consule in Campanos et Samnites profectus est	21
209	545	Q. Fabii auspiciis militavit apud Tarentum	21
208	546	tribunus militum factus est	22
207	547	Claudii Neronis castra secutus pugnae Senensi interfuit	21
204	550	P. Scipionis quaestor in Sicilia et Africa fuit	22
199	555	aedilis plebis cum C. Helvio factus est	24
198	556	praetor in Sardinia fuit	24
195	559	consul in Hispania citeriore fuit	25
194	560	legatus consularis Ti. Sempronii consulis	30
191	563	tribunus militum M.' Acilii Glabrionis consulis	30
190	564	in L. Scipionis exercitu militavit	31
189	565	censurae candidatus repulsam tulit	32
184	570	censor factus est	32
157	597	legatus a senatu missus est Carthaginem	35
150	604	effecit ut Carthagini bellum indiceretur	35
149	605	mortuus est	36

Sententiae controversae.

I. Nipperdeius (edit. VI. praef. p. IX.) Taciti dialogum de oratoribus anno 98 p. Chr. scriptum esse falso iudicavit.

II. Nepotis Cat. 2, 4. pro verbis „circiter annos octoginta“ scribendum est „circiter annos LX.“

III. Gellii noct. Attic. III, 7 pro verbis „consilium quidem istuc atque providens sibi viderier“ legendum esse censeo „consultum etc.“

IV. Sophoclis Electr. v. 42 codicum lectio *ἠνθισμένον* retinenda est.

V. Taciti historiarum libr. III, 72 pro numero CCCCXV legendum esse censeo CCCCXXV.

VI. Polyb. hist. III, 14, 9 in verbis: „*οὐδεὶς ἔτι τῶν ἐντὸς Ἴβηρος ποταμοῦ ῥαδίως πρὸς αὐτοὺς ἀντοφθαλμεῖν ἔτολμα πλὴν Σακανθαίων*“ vox *ἐντὸς* mutanda est in *ἐκτός*.

VII. Rerum divinarum cognitio a praeceptoribus in pueris educandis minime neglegi debet.

Pugna anceps.



Romani signa inferunt.



Vita.

Natus sum Georgius Henricus Vollertsen in oppido Slesvicensi quod vocatur Eckernfoerde, patre Ludovico Christiano, matre Henrietta e gente Mueller, quibus adhuc superstitibus valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in patriae schola rectorali imbutus gymnasium Slesvicense adii, quod tum Keckio et postea Gidionsenio directore florebat hodieque floret. Ibi per sex annos et dimidium commoratus maturitatis testimonium adeptus in litterarum universitatem Chiloniensem commigravi ibique per unum semestre scholis usus sum vv. dd. Forchhammer, Rohde philologicis, Thaulow philosophicis, de Gutschmid historicis. Deinde in universitate Lipsiensi per duo semestria scholis usus sum vv. dd. Ritschl, Curtius, Lange, Fritzsche, Gardthausen philologicis, Voigt historicis, in Jenensi per unum semestre vv. dd. Nipperdey, Schoell, Schmidt philologicis, C. Peter historicis, Eucken philosophicis, Capeller sanscriticis. Tum in universitatem Chiloniensem redux per quattuor annos scholis usus sum vv. dd. Forchhammer, Luebbert, Rohde, Blass philologicis, Schirren, Volquardsen, Hasse historicis, Thaulow, Pfleiderer philosophicis, Weinhold, Pfeiffer germanisticis. Seminariorum denique exercitationibus interfui Lipsiensis philologici, cuius moderatores erant Ritschl et Curtius, Jenensis paedagogici directore K. Stoy, Chiloniensis philologici directoribus vv. ill. Forchhammer, Rohde, Luebbert, historici directoribus vv. ill. Volquardsen, Schirren, cuius per quater sex menses sodalis fui ordinarius. Praeterea mihi benevolentissime a v. ill. Thaulow permissum fuerat, ut particeps fierem societatis Aristotelicae. Abhinc semestri hiberno superiore apud parentes commoratus sum. Iam restat, ut profitear me facere non posse quin omnibus his viris optime de me meritis ex intimo pectore gratias agam quam plurimas.

Errata.

p. 5 legendum est: § 2. De vita p. 18—36.
1) De anno natali p. 18—20.
p. 9. lin. 6 inf. pro littera ς legendum est ζ.
p. 10. lin. 7 inf. pro voce „tantem — tantum.
p. 12. lin. 14 inf. pro ἐιώϑει — εἰώϑει.
p. 26. lin. 4 inf. annot. legas Rusciionem.
p. 27. lin. 2 inf. annot. legas difficultatum.